# DE ARISTOTELE ETIAM IN ARTE POETICA COMPONENDA PLATONIS DISCIPULO.

## DISSERTATIO

INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

**FRIDERICA GUILELMA**

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE IV. M. IUNII A. MDCCCLXXII

H. XI.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

**CHRISTIANUS BELGER**

SAXO.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

M. FRAENKEL, STUD. PHIL.
P. SCHROETER, STUD. PHIL.
R. WEIL, STUD. PHIL.

**BEROLINI**

TYPIS EXPRESSIT GUSTAVUS LANGE (OTTO LANGE).

HERMANNO BONITZ

PRAECEPTORI CARISSIMO

Quicunque Platonis dialogos perlegerit, sciet eum saepissime de artibus disserere, modo obiter tangentem, modo uberius et fusius in earum naturam inquirentem. Ita mihi cum Platonis scripta perscrutarer, permulta obveniebant, quae Aristotelici de arte poetica libri me commonerent. Quae ne in dubio relinquerem, id mihi proposui, ut quae Aristoteles in arte poetica exposuerit, ea quam possem accuratissime cum Platonica doctrina compararem. Quo facto si quid novi non protulissem, me ipsum tamen ad Aristotelem Platonemque melius intellegendos haud parvum fructum capturum esse pro certo habebam. Quum igitur accuratius illa disquisivissem, alia Platonis dicta Aristotelem ipsis verbis in librum suum recepisse, alia refutasse, aliis quasi fundamentis novae doctrinae exponendae usum esse vidi. Priusquam autem exponam, quae inveni, tria praemittam: primum, quo intellegatur, talem comparationem non temere institui; alterum, quo ostendam, qua eligendorum Platonis verborum ratione usus sim; denique eorum mentionem faciam, qui hujus quaestionis partem aliquam jam attigerunt.

Et primum quidem talis comparatio minus ex re esset, si auctorum comparatorum alter alterum non respiceret; Aristoteles autem primo obtutu Platonis praecepta in artis poeticae institutione exponenda neglegere videtur, quoniam nusquam, ut alibi facit, ejus nomen affert. Quare certum antiquitatis testimonium, quod eam opinionem redarguit,

haud parvi existimandum est. Diversitatem enim, quam inter utrumque de artibus in re publica colendis fuisse, nemo est, qui nesciat, Aristotelem diserte exposuisse, Platonemque refutasse, Proclus Neoplatonicus nos docet. Quod testimonium optime explicatum invenies in J. Bernaysii libello, qui inscribitur: Grundzüge der verlorenen Abhandlung des Aristoteles über die Wirkung der Tragödie. Breslau. 1857. p. 164. 165. Proclus enim in problematum, quae ad Platonis dialogum de republica scripsit, secundo poeticas quasdam quaestiones tractat excerptas ex libro decimo rei publicae, et inquirit in illud, num Plato suo jure poetas tragoediarum et comoediarum e civitate expulerit; occasione autem data de ea re magnam inter Platonem et Aristotelem dissensionem fuisse lectori narrat, ideoque ipse primum Aristotelis sententiam refert, quam mox refellere conatur: τὸ δὲ δεύτερον (τοῦτο δ' ἦν, τὸ τὴν τραγῳδίαν ἐκβάλλειν καὶ κωμῳδίαν ἀτόπως, εἴπερ διὰ τούτων δυνατὸν ἐμμέτρως ἐμπιμπλάναι τὰ πάθη καὶ ἀποπλήσαντας ἐνεργὰ πρὸς τὴν παιδείαν ἔχειν, τὸ πεπονηκὸς αὐτῶν θεραπεύσαντας), τοῦτο δ' οὖν πολλὴν καὶ τῷ Ἀριστοτέλει παρασχὸν αἰτιάσεως ἀφορμὴν καὶ τοῖς ὑπὲρ τῶν ποιήσεων τούτων ἀγωνισταῖς τῶν πρὸς Πλάτωνα λόγων, οὑτωσί πως ἡμεῖς διαλύσομεν.

Proclus igitur librum Aristotelis novit, in quo ille disertis verbis Platonicam de expellendis poetis sententiam refutabat, ut saepius in iis libris, qui ad nos duraverunt, Aristotelem de Platonis verbis judicantem videmus (cf. Bonitzii indic. Aristotelicum s. v. Πλάτων). Jam apparet Aristotelem ea, quae Plato de arte poetica statuisset, non solum novisse, sed etiam in sua ipsius doctrina excolenda diligenter observasse. Quare nostro jure censebimus, Aristotelem, si eadem atque Plato docuerit, ea a Platone accepisse; sin

autem alia praescripserit, vel si quam sententiam nomine auctoris non allato impugnarit, quae quidem a Platone defenditur, tum Platonis eum recordari putabimus.

Quod si cui in eligendis Platonis verbis fortasse vel minora, quam quae in comparationem vocari debeant, vel quae a Platone magis adumbrata, quam accurate exposita sunt, elegisse videar, non is sum, qui putem, ea ipsa verba Aristotelem quoque inspexisse, priusquam sua scripsisset, sed id mihi persuasum est, Platonem de artium natura eo saepius cum discipulis collocutum esse, quo magis artibus non solum commoveri hominum animos, sed et ad bona et ad mala sensim adduci putaret (rep. 492 B. C 401 C ff. et saepius); et quod ipse celeberrimis illis verbis, quae in Phaedro legimus exponit, multo praeferendam esse vivam magistri cum discipulis colloquentis vocem libris perpetuis, dubium non est, quin de iis rebus, quae ejus maxime interessent, in academia etiam saepius disseruerit, quam in libris suis. Itaque verisimile est ea, quae in libris scriptis adumbrata modo praebentur, ab ipso saepius libero sermone pertractata esse. Qui verborum ipsorum magistri fons quoniam nobis praeclusus est, aliud quidquam in comparationem vocare non licet, nisi quod ex dialogis Platonicis re vera Platonicum esse ostendi potest; tum vero neque ea, quae minutiora fortasse viderentur, si Aristotelem ipsum Platonem audivisse ignoraremus, spernemus, neque vanis imaginationibus confidere cogemur. Aristoteles autem in conscribendo libro de arte poetica magis non repudiasse videtur, quae ei comiter memoria suggerebat, quam de industria Platonis verba quaesivisse.

Ne denique eos taceam, qui hujus quaestionis partem aliquam jam attigerunt, Paulus Benius Eugubinus in commentariis, quos in artem poeticam scripsit, passim nonnulla

Platonis in comparationem vocat, ita tamen, ut saepius non recte intellegat Aristotelis verba. Quam composuit „Platonis Poeticam ex ejus dialogis collectam", inspicere mihi non licuit (cf. Graefenhani artis poeticae editionem, 1821, cui praefixi sunt indices editionum et versionum p. XLIV). In recentiorum numero Zellerus in libro, qui inscribitur: Geschichte der Philosophie der Griechen etc., Jo. Vahlenus in commentariis ad Aristotelis artem poeticam, Bernaysius in libello, cujus mentionem jam feci, nonnulla Platonis verba afferunt. Teichmuellerus in studiorum Aristotelicorum parte altera p. 99 paene omnia Aristotelem a Platone accepisse affirmat; Platonis doctrinam Eduardus Muellerus in libro, qui inscribitur: Geschichte der Theorie der Kunst bei den Alten. B. I. optime exposuit. Dissertatione, quam Guil. Abekenium de μιμήσεως notione apud Platonem et Aristotelem scripsisse ex Ueberwegii historia philosophiae antiquitatis (p. 132) vidi, uti non potui.

Continuam autem comparationem omnino non reperi.

Quaestionem meam ita instituam, ut ordinem sententiarum, qualis in libro Aristotelico est, sequar; quae per totum librum dispersa ad tragoediam et imitationis notionem pertinent, in unum colligam.

---

## Caput I.

Et initio quidem libri, in c. I. p. 1447 a. 8 Aristoteles se dicturum esse affirmat primum de arte poetica ipsa, deinde de singulis ejus generibus. Eam autem artem poeticam, quae hic significatur, partem tantum universalioris artis, quae poetica nominatur, esse, ex reliquis libris scimus. Quae universalior ars ex vocis, quae est ποιεῖν, notione

pendet. Et in ethicis ad Nicomachum Aristoteles ipse dicit (lib. VI. c. 4, 5. p. 1140 a. 2 ff.), se in exotericis libris exposuisse, quae diversitas inter id, quod est ποιεῖν, et quod est πράττειν, intercedat. Bernaysius autem demonstravit, id in dialogo, qui de poetis agebat, factum esse. (J. Bernays, die Dialoge des Aristoteles p. 60 ff.) Qui quamquam non ad nostram aetatem servatus est, tamen ex libris adhuc integris illa diversitas intellegitur.

eth. Nic. enim p. 1140 a. 10 ff. haec leguntur: ταὐτὸν ἂν εἴη τέχνη καὶ ἕξις μετὰ λόγου ἀληθοῦς ποιητική. ἔστι δὲ τέχνη πᾶσα περὶ γένεσιν, καὶ τὸ τεχνάζειν θεωρεῖν, ὅπως ἂν γένηταί τι τῶν ἐνδεχομένων εἶναι καὶ μὴ εἶναι. et anal. post. II. 19. p. 100 b. 6. ff. τὸ καθόλου . . . τέχνης ἀρχὴ καὶ ἐπιστήμης, ἐὰν μὲν περὶ γένεσιν, τέχνης etc. Is igitur aliquid ποιεῖ, qui aliquid, quod antea non aderat, quasi creat.

Eandem verbi, quod est ποιεῖν notionem apud Platonem invenies. ita in Symposio: p. 205 B. C Diotima Socrati haec exponit: οἶσθ' ὅτι ποίησίς ἐστί τι πολύ· ἡ γάρ τοι ἐκ τοῦ μὴ ὄντος εἰς τὸ ὂν ἰόντι ὁτῳοῦν αἰτία πᾶσά ἐστι ποίησις, ὥστε καὶ αἱ ὑπὸ πάσαις ταῖς τέχναις ἐργασίαι ποιήσεις εἰσὶ καὶ οἱ τούτων δημιουργοὶ ποιηταί.

et Soph. p. 219. B. πᾶν ὅπερ ἂν μὴ πρότερόν τις ὂν ὕστερον εἰς οὐσίαν ἄγῃ, τὸν μὲν ἄγοντα ποιεῖν, τὸ δὲ ἀγόμενον ποιεῖσθαί πού φαμεν.

Quum vero id, quod est ποιεῖν et quod est τέχνη, permulta genera habeat, artioribus cancellis eam artem circumcludi oportet, quam solam poeticam nominamus. Et apud Platonem quidem Diotima pergit (Sympos. 205 B.): Scis quidem omnium artium omnes artifices proprie poetas esse, ἀλλ' ὅμως, ἦ δ' ἥ, οἶσθ', ὅτι οὐ καλοῦνται ποιηταὶ, ἀλλ' ἄλλα ἔχουσιν ὀνόματα, ἀπὸ δὲ πάσης τῆς ποιήσεως ἓν

μόριον ἀφορισθὲν τὸ περὶ τὴν μουσικὴν καὶ τὰ μέτρα τῷ τοῦ ὅλου ὀνόματι προςαγορεύεται. ποίησις γὰρ τοῦτο μόνον καλεῖται, καὶ οἱ ἔχοντες τοῦτο τὸ μόριον ποιηταί.

Ii igitur soli poetae salutantur, qui musica et metris utuntur; quae vero ea musica sit, in eodem symposio Eryximachus exponit (p. 187 D.): καὶ ἔστιν αὖ μουσικὴ περὶ ἁρμονίαν καὶ ῥυθμὸν ἐρωτικῶν ἐπιστήμη; in Sophista autem inter eas artes, quae hospes poeticas nominat, ἡ μιμητικὴ enumeratur (219 A.) et μιμητικὰς Plato persaepe artes et pictorum et poetarum appellat. Quae si in unum comprehenderis, poeta is erit, qui et imitatur aliquid, et ad imitationem efficiendam concentu, numero, metris utitur.

Idem Aristoteles statuit. Primum enim et ipse artis poeticae et latiorem et artiorem sensum novit, ita ut omnes artes, quae aliquid operis proferunt, poeticae nominentur, et ea, quae prae ceteris poetica appellari solet, pars modo universalioris artis sit. Omnes enim artes id commune habent, quod omnes ποιητικαὶ sunt: eth. Nic. VI. c. 4. p. 1140 a. 5 ff. ἐπεὶ δ' ἡ οἰκοδομικὴ τέχνη τις ἐστὶ καὶ ὅπερ ἕξις τις μετὰ λόγου ποιητικὴ, καὶ οὐδεμία οὔτε τέχνη ἐστιν, ἥτις οὐ μετὰ λόγου ποιητικὴ ἕξις ἐστίν etc.

Deinde Aristoteles ex hac universalis artis materia peculiarem quandam eligit, et ita quidem, ut more suo non rem, qualem nunc habemus describat, sed quomodo ea facta sit, quae nunc est, exponat. In capite enim quarto duas causas ait artem poeticam genuisse: alteram imitatoriam, si ita dicere licet, quandam indolem, alteram concentus, numeri, metrorum naturalem sensum. p. 1448 b. 5. ἐοίκασι δὲ γεννῆσαι μὲν ὅλως τὴν ποιητικὴν αἰτίαι δύο τινὲς, καὶ αὗται φυσικαί. et. ib. 20. ff. κατὰ φύσιν δὴ ὄντος ἡμῖν τοῦ μιμεῖσθαι καὶ τῆς ἁρμονίας καὶ τοῦ

ῥυθμοῦ (τὰ γὰρ μέτρα, ὅτι μόρια τῶν ῥυθμῶν ἐστι, φανερὸν) . . . ἐγέννησαν τὴν ποιητικὴν ἐκ τῶν αὐτοσχεδιασμάτων.

Easdem igitur notas Aristoteles adhibet, quibus poetam a reliquis artificibus, qui illud nomen affectare possunt, segreget.

Deinde in sequentibus Aristoteles totius doctrinae fundamenta agit: omnia ait artis poeticae genera imitari. c. I. p. 1447 a. 14 ff. ἐποποιία δὴ καὶ ἡ τῆς τραγῳδίας ποίησις, ἔτι δὲ κωμῳδία καὶ ἡ διθυραμβοποιητικὴ καὶ τῆς αὐλητικῆς ἡ πλείστη καὶ κιθαριστικῆς πᾶσαι τυγχάνουσιν οὖσαι μιμήσεις τὸ σύνολον.

Quod omnino jam Platonem statuisse ut probem, ex permultis ejus dictis ea eligam, quae id maxime ostendant.

Rep. II. p. 373 B, ubi civitatem ex elementis componit, haec dicit: ἡ πόλις ὄγκου ἐμπληστέα, οἷον . . . οἵ τε μιμηταὶ, πολλοὶ μὲν περὶ σχήματά τε καὶ χρώματα, πολλοὶ δὲ οἱ περὶ μουσικὴν, ποιηταί τε καὶ τούτων ὑπηρέται. Hic omnes poetae imitatores nominantur. Ita etiam in Timaeo, p. 19. D. τὸ ποιητικὸν γένος et τὸ μιμητικὸν ἔθνος alterum pro altero ponitur.

Quoniam vero in ejusdem rei publicae libro decimo Plato partem poetarum imitari negat, si quidem rep. p. 595 A ex urbe sua eos poetas expellit, qui imitentur, qui imitatione abstineant, eos retinet, quaerendum est, qui poetae imitentur, qui minus:

a. tragoedia imitatur. p. 595 B. τοὺς τῆς τραγῳδίας ποιητὰς, καὶ τοὺς ἄλλους ἅπαντας τοὺς μιμητικούς.

b. carmen epicum imitatur. rep. 600 E.

οὐκοῦν τιθῶμεν, ἀπὸ Ὁμήρου ἀρξαμένους πάντας τοὺς ποιητικοὺς μιμητὰς εἰδώλων ἀρετῆς εἶναι etc.;

c. comoedia imitatur. rep. 606 C.

ἆρ' οὐχ ὁ αὐτὸς λόγος καὶ περὶ τοῦ γελοίου, ὅτι, ἂν αὐτὸς αἰσχύνοιο γελωτοποιῶν, ἐν μιμήσει δὴ κωμῳδικῇ . . . ἀκούων . . σφόδρα χαρῇς; et rep. 395 A. τὰ δοκοῦντα ἐγγὺς ἀλλήλων εἶναι δύο μιμήματα . . οἷον κωμῳδία καὶ τραγῳδία.

d. in legibus saepius affirmat Plato, totam musicam, sub quam et ars poetica et ea, quam nos artem musicam nominamus, subjectae sunt, imitari.

p. 668 B. Ἀθ.: καὶ μὴν τοῦτό γε πᾶς ἂν ὁμολογοῖ περὶ τῆς μουσικῆς, ὅτι πάντα τὰ περὶ αὐτήν ἐστι ποιήματα μίμησίς τε καὶ ἀπεικασία. et 798 D. τὰ περὶ τοὺς ῥυθμοὺς καὶ πᾶσαν μουσικήν ἐστι τρόπων μιμήματα.

Ea omnia igitur ex urbe expellenda esse, hymnos in deos tantum et laudes in bonos homines compositas legislatori recipere licere. rep. p. 607 A. εἰδέναι δὲ χρή, ὅτι ὅσον μόνον ὕμνους θεοῖς καὶ ἐγκώμια τοῖς ἀγαθοῖς ποιήσεως παραδεκτέον εἰς πόλιν.

Quoniam igitur Plato statuit, eam poesin solam in urbem recipiendam esse, quae non imitetur, hymnos et laudes deorum bonorumque hominum, quae recipiuntur, non imitari censeamus oportet.

Quaeritur autem, num Aristoteles simul cum verbo, quod est μίμησις, etiam notionem Platonicam hujus verbi receperit. Et Plato quidem cum alibi, tum in sophista, in rei publicae libro decimo, legum secundo, quae imitatio sibi videatur esse exponit. In sophista enim omnem artem, quam poeticam latiore sensu nominat, in singulas formas dividit: p. 235 ff. p. 265—268. Alteram partem divinam esse, qua mundus sit creatus, alteram humanam; humanae autem altera forma res ipsas fieri, quibus quotidie utamur, altera talium rerum simulacra

gigni, quae pars nominatur τὸ εἰδωλοποιητικὸν vel τὸ μιμητικὸν (p. 235 C. et D.); artis imitatoriae autem duas partes esse: alteram, quae quam accuratissime possit, alterum exemplum rei propositae reddere studeat, eamque esse εἰκαστικήν; alteram, quae res ita fingat, utcunque esse artifici videantur; pictorem igitur, qui imaginem scenographicam componat, sub hanc partem subjectum esse, quam quidem φανταστικὴν appellat. Tale autem phantasma ab imitatore aut ita produci, ut instrumentis quibusdam, velut coloribus, figuris, sonis utatur, aut ut ipse imitationis se praebeat instrumentum (dramatica, quam nominamus, imitatio). Quaecunque igitur opera a poetis, latiore sensu ita nominatis, perficiantur, ea aut esse res ipsas, aut earum rerum simulacra; itaque omnem artem poeticam, si peculiarem illam respicis, sub alteram partem esse subjectam, et sub eam hujus partis partem, quae τὸ φανταστικὸν appellatur.

Ea divisione iterum Plato in rei publ. libro decimo, ubi de peculiari illa arte disserit, utitur, nisi quod hic idearum doctrinam inserit, qua tamen res ipsa non mutatur. Ut enim demonstret artificem, qui imitetur, tertio loco esse, si a veritate initium ceperis, haec exponit: Lectuli ideam deus primus creat; quare haec ποίησις nominatur φυτουργός, deinde hominem aliquem lectulum ipsum facere. Tertium esse pictorem, qui hujus lectuli imaginem fingat; idque proprium imitatoris esse, quod rerum ab artificibus perfectarum imagines reddat. Neque tamen alterum quasi lectulum illum proferre, qui alterius altitudini, latitudini, longitudini respondeat, sed qualis ei pro vario loco, ex quo illum adspexerit, visus sit, talem imagine sua exprimere. Itaque non εἰκόνα (Soph. p. 236 A), sed φάντασμα profert. Quod quo clarius

appareat, hujus divisionis tabulam adjiciam, additis rei publicae paginis, quibus idem atque in sophista exponitur:

ἡ ποιητική. soph. 265 B.

soph. 265 C. a. θεία b. ἀνθρωπίνη soph. 265 E.
rep. 597 D. rep. 597 D. δημιουργοί

soph. 266 D. a. αὐτουργικόν b. εἰδωλουργικόν
rep. 597 D. δημιουργοί μιμηταί. rep. 597 E.

Soph. 266 D. a. εἰκαστικόν b. φανταστικόν
Simile quid rep. φαντάσματος μίμησις. rep. 598 B.
p. 602 D. E.

a. δι' ὀργάνων rep. l. X.
b. αὐτοῦ τοῦ μιμητοῦ ὀργάνου
soph. 267 A. B. ὄντος
rep. 393 B.

Ex re publica pauca adscribam:

p. 597 E. τὸν τοῦ τρίτου ἄρα γεννήματος ἀπὸ τῆς φύσεως (ποιητὴν) μιμητὴν καλεῖς; πάνυ μὲν οὖν. et 598 B. πρὸς πότερον ἡ γραφικὴ πεποίηται περὶ ἕκαστον; πότερα πρὸς τὸ ὂν, ὡς ἔχει, μιμήσασθαι, ἢ πρὸς τὸ φαινόμενον, ὡς φαίνεται, φαντάσματος ἢ ἀληθείας οὖσα μίμησις; Φαντάσματος ἔφη· πόρρω ἄρα που τοῦ ἀληθοῦς ἡ μιμητική ἐστιν.

Poetas igitur et omnino imitatores earum rerum, quarum simulacra vel verbis vel coloribus exprimant, veram notitiam non habere, sed quaecunque sibi videantur, ea facere. Quoniam vero sensibus modo confidant, singulas tantum quasque res ab iis depingi, non ea, quae singulis rebus communia sint. Sensibus solis enim non ideas, sed singulas tantum res percipi, Plato saepe exponit. Qua in re Plato inde ab apologia Socratis semper sibi constitit. Vel hic enim p. 22 A, B. Socrates negat, poetas, quamquam haud raro pulchri aliquid proferant, quare pulchrum sit, intellegere. Et in Gorgia exponit, omnes artes, quae nominentur, si quidem operum, quae proferant, rationem reddere non possint, re vera non esse artes, sed ἐμπειρίας et ἄλογα πράγματα. p. 465 A. τέχνην δὲ αὐτήν (τὴν ῥητορικὴν) οὔ φημι εἶναι, ἀλλ' ἐμπειρίαν, ὅτι οὐκ ἔχει λόγον οὐδένα, ὧν προσφέρει, ὁποῖ' ἄττα τὴν φύσιν ἐστὶν, ὥστε τὴν αἰτίαν ἑκάστου μὴ ἔχειν εἰπεῖν. ἐγὼ δὲ τέχνην οὐ καλῶ, ὃ ἂν ᾖ ἄλογον πρᾶγμα. et p. 501 A. iterum, quae ars, quae experientia sibi videatur, exponit: ἔλεγον δέ που, ὅτι ἡ μὲν ὀψοποιικὴ οὔ μοι δοκεῖ τέχνη εἶναι, ἀλλ' ἐμπειρία, ἡ δ' ἰατρικὴ, λέγων, ὅτι ἡ μὲν τούτου οὗ θεραπεύει καὶ τὴν φύσιν ἔσκεπται καὶ τὴν αἰτίαν ὧν πράττει, καὶ λόγον ἔχει τούτων ἑκάστου δοῦναι, ἡ ἰατρική· ἡ δ' ἑτέρα τῆς ἡδονῆς, πρὸς

ἣν ἡ θεραπεία αὐτῇ ἐστιν ἅπασα, κομιδῇ ἀτέχνως ἐπ' αὐτὴν ἔρχεται, οὔτε τι τὴν φύσιν σκεψαμένη τῆς ἡδονῆς οὔτε τὴν αἰτίαν, ἀλόγως τε παντάπασιν, ὡς ἔπος εἰπεῖν, οὐδὲν διαριθμησαμένη, τριβῇ καὶ ἐμπειρίᾳ μνήμην μόνον σωζομένη τοῦ εἰωθότος γίγνεσθαι.

Hujus generis autem esse artes tibiis cantandi, cithara ludendi, lyricam et dramaticam poesin. Vides jam, quaecunque hic de experientia dicuntur, in imitationem cadere, quae et ipsa operum suorum rationem dare non possit. Haec adscripsi, ut ostenderem, quales esse Platoni eae artes videantur, quae in sola imitatione nituntur.

Habes igitur haec:

1. Poeta imitatorius non ideas, sed singulas quasque res respicit.

2. Itaque imitator de rerum natura nihil cognitum habet.

3. Itaque artes imitatoriae artes tantum nominantur, neque tamen artes sunt, sed experientiae, quae operum suorum reddere non possint rationem.

Vides vero, paene eosdem gradus cognoscendae veritatis Platonem statuere atque Aristotelem in met. I. c. 1: primus enim gradus utrique αἴσθησις est; sequitur φαντασία, id est ea imago, quae sensibus debetur. Plato, Soph. 264. A. Ξεν. τί δ' ὅταν μὴ καθ' αὑτὴν (τὴν ψυχὴν), ἀλλὰ δι' αἰσθήσεως παρῇ τὸ τοιοῦτον αὖ πάθος, ἆρ' οἷόν τε ὀρθῶς εἰπεῖν ἕτερόν τι πλὴν φαντασίαν; Θεαιτ. οὐδέν. — Accedit μνήμη (Gorg. 501 A), quae quod fieri solet, recordatur, causis non cognitis; quae Platoni eadem videtur atque ἐμπειρία. (l. l.). Aristoteli ἐμπειρία altior est gradus, quam μνήμη, quae quidem unius rei mansionem significat. Experientiam vero apud utrumque ars et rerum scientia sequitur, quae rerum sibi subjectarum rationem reddere pos-

sunt. Scientiae vero et artis discrimen Aristoteles primus clare demonstravit; utrique autem etiam apud Aristotelem id commune est, quod non singulas quasque res spectant, sed id, quod singulae res commune habent (τὸ καθόλου); experientia vero necessario cum singularum rerum conceptibus cohaeret, neque ab iis divelli potest (cf. Bonitzii commentarios ad Met. A. 1. et Trendelenburgii elementa logices Aristotelicae p. 163. 164).

Quae fusius exposui, ut intellegatur, Aristotelem de arte imitatoria non temere aliter statuere atque Platonem, sed prudenter in altiore gradu ejusdem scalae, quam Plato novit, imitationem ab eo poni.

Aristoteles enim in artis poeticae capite primo vulgarem de poetis opinionem reprehendit, qua quidem, quicunque versus fecerit, eo ipso poeta salutetur; ex eorum enim numero partem tantum re vera poetas esse. (p. 1447 b. 15). Quod quid sibi velit, c. IX. p. 1451 b 27 clarius exponit: δῆλον οὖν ἐκ τούτων, ὅτι τὸν ποιητὴν μᾶλλον τῶν μύθων εἶναι δεῖ ποιητὴν ἢ τῶν μέτρων, ὅσῳ ποιητὴς κατὰ τὴν μίμησίν ἐστι, μιμεῖται δὲ τὰς πράξεις.

Eatenus igitur aliquem poetam esse, quatenus imitetur. Itaque quae leges poetae, qui fabulam componit, praescribuntur, eae poetae dantur, quatenus imitatur. In eodem vero capite Aristoteles exponit, id poesis proprium esse, quod non singula quaeque repraesentet, qualia casu et fortuito accidant, sed quod universalia cognita habeat, eaque carminibus ostendat. p. 1451. b. 5. ff. διὸ καὶ φιλοσοφώτερον καὶ σπουδαιότερον ποίησις ἱστορίας ἐστίν. ἡ μὲν γὰρ ποίησις μᾶλλον τὰ καθόλου, ἡ δ' ἱστορία τὰ καθ' ἕκαστον λέγει.

His igitur fere Aristotelica imitationis notio a Platonis differt:

1. Poeta imitatorius non singulas quasque res respicit, sed universalia repraesentat.

2. Itaque ars poetica non pro vana experientia, sed pro vera arte est habenda.

Apparet autem Platonem ex ficticia imitationis notione omnem poesin, quae quidem imitatur, rejicere; imitationem enim quasi caecam, qualis est ea, qua simiae hominem imitantur, a poetica imitatione non secernit, sed omnis imitatio ei eadem videtur esse.

Aristoteles vero, quamquam poesis imitatoriae nomen a Platone inventum recepit, non neglexit, plane aliud esse, si quis stolide quidlibet sicut sibi videatur, ita imitetur, et si poeta aliquid carmine repraesentet; ille enim, quodcunque primo obtutu vidit, tale quid statim imagine, vel carmine exprimit, rei natura omnino non cognita, poeta autem non singulas quasque res vel personas, sed totius generis veram naturam respicit.

Paulo aliter Plato in libris de legibus de imitatatione artium judicat. Persuasum autem mihi est, eo temporis spatio, quod inter libros de re publica et libros de legibus conscribendos intercessisset, Platoni multos eam doctrinam artis poeticae, quam in re publica exposuerat, crimini vertisse, eamque recte exponi negasse. In legum enim libro secundo p. 668 B. C. haec leguntur: Ἀθ. καὶ μὴν τοῦτό γε πᾶς ἂν ὁμολογοῖ περὶ τῆς μουσικῆς, ὅτι πάντα τὰ περὶ αὐτήν ἐστι ποιήματα μίμησίς τε καὶ ἀπεικασία. καὶ τοῦτό γε μῶν οὐκ ἂν ξύμπαντες ὁμολογοῖεν ποιηταί τε καὶ ἀκροαταὶ καὶ ὑποκριταί; Κλ. καὶ μάλα.

Particula, quae est γε, ad τοῦτο apposita id significatur: Etiamsi reliqua, quae de arte poetica exposui, negaverint, id unum concedent, imitationem eam esse. Quum igitur in re publica, qualis imitatio s i t ostendat, in legibus qualis

esse debeat, si quidem vera imitatio futura sit, exponit, et in hoc concesso fundamento novam artis poeticae doctrinam exstruit. Quum vero in re publica ea imitatione, quam φανταστικὴν appellat, quasi norma judicii utatur, in legibus ea parte, quam εἰκαστικὴν in sophista nominat, artes metitur (cf. huj. diss. p. 9. 10). Quae jucunda vocamus, ait, ea aut sola jucunditate et voluptate, quam afferant, aut praeter jucunditatem recta ratione, quae in iis cernatur, aut utilitate, quam praebeant, aestimari et judicari, eoque nomine placere. legg. p. 667 B. f. Ἀθ. οὐκοῦν πρῶτον μὲν δεῖ τόδε γε ὑπάρχειν ἅπασιν, ὅσοις συμπαρέπεταί τις χάρις, ἢ τοῦτο αὐτὸ μόνον αὐτοῦ τὸ σπουδαιότατον εἶναι ἤ τινα ὀρθότητα ἢ τὸ τρίτον ὠφέλειαν; Eas igitur artes, quae in imitatione rerum versentur, tum propositum assecuturas non esse, si earum opera jucunda fuerint, sed tum denique, si, quod finxerint, id ei rei omnino aequum fuerit, cujus simulacrum praebeatur; quare ex eo de earum artium praestantia ac virtute judicium repetendum esse, num accuratissimam imaginem reddant necne. p. 667. C. D. τὶ δαί; τῇ τῶν ὁμοίων ἐργασίᾳ, ὅσαι τέχναι εἰκαστικαὶ, ἆρ' οὐκ, ἂν τοῦτο ἐργάζωνται, τὸ μὲν ἡδονὴν ἐν αὐτοῖς γίγνεσθαι, παρεπόμενον ἐὰν γίγνηται, χάριν αὐτὸ δικαιότατον ἂν εἴη προςαγορεύειν; Κλ. ναί. Ἀθ. τὴν δέ γε ὀρθότητά που τῶν τοιούτων ἡ ἰσότης ἄν, ὡς ἐπὶ τὸ πᾶν εἰπεῖν ἐξεργάζοιτο τοῦ τε τοσούτου καὶ τοῦ τοιούτου πρότερον, ἀλλ' οὐχ ἡδονή; Κλ. καλῶς.

quae vero artes εἰκαστικαὶ nominantur, eaedem sunt atque μιμητικαί. p. 668 B. μιμήσεως γὰρ ἦν, ὡς ἔφαμεν, ὀρθότης, εἰ τὸ μιμηθὲν ὅσον τε καὶ οἷον ἦν, ἀποτελοῖτο. Quum autem ars poetica imitetur, apparet, quam accuratissime eam, quodcunque imitatur, quasi denuo creare oportere.

Aristoteles autem ne in hac quidem sententia Platoni adstipulatur. Tantum enim abest, ut is poeta Aristoteli recte imitari videatur, qui quales res fortuito gerantur, eas anxie quasi depingat, ut si quae acciderint, probabile non videatur re vera ita accidisse, illa mutare debeat, ut res causarum nexu inter se sociatas producat: a. p. IX. p. 1451 a. 36. φανερὸν δ' ἐκ τῶν εἰρημένων καὶ ὅτι οὐ τὰ γενόμενα λέγειν, τοῦτο ποιητοῦ ἔργον ἐστὶν, ἀλλ' οἷα ἂν γένοιτο, καὶ τὰ δυνατὰ κατὰ τὸ εἰκὸς ἢ τὸ ἀναγκαῖον.

Itaque quod Plato poetae crimini vertit, id ipsum Aristoteles nonnumquam facere oportere contendit poetam. Quae diversitas sicut prior, ex eo orta est, quod Plato omnino quamlibet imitationem ab imitatione poetica non distinxit; Aristoteles autem imitationi poeticae certam sedem a vulgari imitatione discretam assignavit.

Jam his de imitationis apud Platonem et Aristotelem diversa notione expositis, ad libri de arte poetica caput primum revertamur.

Hic enim Aristoteles eo fundamento posito totam hanc imitationis poeticae materiem in suas formas dividit; ad quam divisionem recte instituendam tribus utitur fundamentis divisionis. Differre enim eas artes, quas enumeraverit, inter se tribus: et instrumentis, et materie, et modo imitationis. p. 1447 a. 18. διαφέρουσι δὲ ἀλλήλων τρισίν· ἢ γὰρ τῷ γένει ἑτέροις μιμεῖσθαι, ἢ τῷ ἕτερα, ἢ τῷ ἑτέρως καὶ μὴ τὸν αὐτὸν τρόπον; quod in capite tertio, more suo pronominibus usus, sic exprimit (p. 1448 a. 25): ἐν τρισὶ δὴ ταύταις διαφοραῖς ἡ μίμησίς ἐστιν, ὡς εἴπομεν κατ' ἀρχάς· ἐν οἷς τε, καὶ ἃ, καὶ ὥς. Itaque si cognoverimus, quibus aliquod poema instrumentis, quam rem, quomodo imitetur, satis habebimus.

Eas diversitates jam Plato statuit. In rei publicae

enim libro tertio, ubi primum de arte poetica disserit, certis rationibus utitur; quaestione autem absoluta, quas normas sit secutus, exponit (p. 392 C. 394 C. 398 B.). Et p. 398 B. quidem haec dicit: Σωκρ. νῦν δή, εἶπον, ὦ φίλε, κινδυνεύει ἡμῖν τῆς μουσικῆς τὸ περὶ λόγους τε καὶ μύθους παντελῶς διαπεπεράνθαι, ἅ τε γὰρ λεκτέον καὶ ὡς λεκτέον εἴρηται. Viri enim honesti esse hominum bonorum honestorumque tantum et res gestas et sermones narrare (ἅ), et ita narrare, ut magis indirecta, quam nominamus, oratione, quam directa utatur (ὥς). rep. 395 C, D (ἅ); 396 C, D (ὥς).

Quod hic videtur deesse: τὸ ἐν οἷς, quamvis Plato eo quidem nomine non signet, tamen si rem respexeris, clare videbis. Dum enim totius musicae certam partem secludit, ad distinguendum instrumento imitationis utitur; dicit enim: τῆς μουσικῆς τὸ περὶ λόγους τε καὶ μύθους et reliquum esse addit, ut de concentu numerisque judicet (p. 398 C. D.). A tota igitur musica ea pars sejungitur, cujus proprium est, ut sermone instrumento imitationis utatur. Sermone autem maxime tragoedia, comoedia, carmen epicum utuntur, de quibus Plato in antecedentibus fusius disseruit. Quod igitur jam Plato statuerat, idem Aristoteles aptum divisionis fundamentum esse censuit et ipsis verbis recepit, nisi quod illud unum, cujus notionem Plato haberet, nomine careret, nova nota signabat.

Quae subinde apud Aristotelem sequuntur (p. 1447, a 19 ff), haud parvas difficultates praebent. Eas facilius superari posse credo, si antea nonnulla Platonis exposuero. Plato enim artem imitatoriam saepius in duas maxime partes dividit: alteram, cujus opera oculis, alteram, cujus opera auribus percipiantur. cf. rep. X. p. 603 B, ubi postquam de pictura disseruit, pergit: φαύλη ἄρα φαύλῳ

ξυγγιγνομένη φαῦλα γεννᾷ ἡ μιμητική. — ἔοικεν. — πότερον, ἦν δ' ἐγώ, ἡ κατὰ τὴν ὄψιν μόνον, ἢ καὶ ἡ κατὰ τὴν ἀκοήν, ἣν δὴ ποίησιν ὀνομάζομεν; — εἰκός γ' ἔφη καὶ ταύτην.

Distinguuntur igitur altera parte pictura, quae oculis, altera parte poesis, quae auribus percipitur. Eadem diversitas in legibus invenitur. Lgg. enim II. p. 668 D. et p. 669 A. ἡ γραφικὴ et ἡ μουσικὴ enumerantur, et picturae opera p. 668 D. nominantur κατὰ τὴν ὄψιν ἀπεικασίαι; picturam autem recte intellectum iri, si quis et corpus pictum et ejus χρώματα καὶ σχήματα recte cognoverit. Eadem autem in rep. X. p. 601 A. picturae assignantur: ὁ ζωγράφος σκυτοτόμον ποιήσει δοκοῦντα εἶναι, αὐτός τε οὐκ ἐπαΐων περὶ σκυτοτομίας καὶ τοῖς μὴ ἐπαΐουσιν, ἐκ τῶν χρωμάτων δὲ καὶ σχημάτων θεωροῦσιν. Ei picturae legum laudatis verbis ars musica, eaque latiore sensu opponitur, cujus opera perficiantur ῥήμασί τε καὶ μέλεσι καὶ τοῖς ῥυθμοῖς (p. 669 B.). Artis musicae autem instrumenta uno nomine τῆς φωνῆς comprehenduntur lgg. II. p. 673 A: τὰ μὲν τοίνυν τῆς φωνῆς μέχρι τῆς ψυχῆς πρὸς ἀρετῆς παιδείαν οὐκ οἶδ' ὄντινα τρόπον ὠνομάσαμεν μουσικήν. Similiter in Gorgia p. 474 E. separantur καὶ σχήματα καὶ χρώματα et αἱ φωναὶ καὶ τὰ κατὰ τὴν μουσικήν, quod idem est atque αἱ φωναὶ αἱ τῆς μουσικῆς. Jam habes haec:

ἡ μιμητική dividitur in duas partes:

| a. ἡ γραφική | b. ἡ μουσική |
| --- | --- |
| hujus opera oculis percipiuntur; quare ad imitandum utitur | hujus opera auribus percipiuntur; auribus autem percipitur sonus = φωνή. |
| καὶ χρώμασι καὶ σχήμασι. | In ea φωνῇ autem artis musicae percipienda tria distinguuntur: φωνή |
| | ῥήματα, μέλος, (= λόγοι, ἁρμονία.) ῥυθμοί. |

Aristotelis autem codicibus haec traduntur: p. 1447, a 19. ὥσπερ γὰρ καὶ χρώμασι καὶ σχήμασι πολλὰ μιμοῦνταί τινες ἀπεικάζοντες, οἱ μὲν διὰ τέχνης, οἱ δὲ διὰ συνηθείας, ἕτεροι δὲ διὰ τῆς φωνῆς, οὕτω κἀν ταῖς εἰρημέναις τέχναις. Vides, omnino hic quasdam artes inter se comparari, si vero ad singula transieris, difficultates apparebunt. Quod enim legitur: ἕτεροι δὲ διὰ τῆς φωνῆς, nullo modo tertium ejusdem ordinis enumerari potest, si antecessit: οἱ μὲν διὰ τέχνης, οἱ δὲ διὰ συνηθείας. Quare editorum alius aliter mutavit. Fuerunt enim, qui scriberent ἕτεροι δὲ διὰ τῆς φύσεως, quod Aristotelicum est; semper enim tres gradus enumerat: φύσιν, ἔθος, διδαχήν (= τέχνην), Ritterus insertum illud esse ab homine male sedulo putat, Teichmuellerus in libri, cujus mentionem jam feci, parte priore (p. 5) codicum lectionem retinet: συνήθειαν enim vel τέχνην eum sibi asciscere non posse, qui naturali quadam indole careat; quare etiamsi diserte non dicatur, tamen omnes φύσιν facile esse additur os. Distinguendum vero ita esse: ὥσπερ γὰρ καὶ χρώμασι καὶ σχήμασι πολλὰ μιμοῦνταί τινες ἀπεικάζοντες (οἱ μὲν διὰ τέχνης, οἱ δὲ διὰ

συνηθείας), ἕτεροι δὲ διὰ τῆς φωνῆς, οὕτω κἀν ταῖς εἰρημέναις τέχναις, ita, ut cum artibus enumeratis (αἱ εἰρημέναι τέχναι) componantur duo genera artium: alterum, quod καὶ σχήμασι καὶ χρώμασι, alterum quod διὰ τῆς φωνῆς imitetur. Quod num fieri possit, haesito. Aristoteles enim subinde earum artium, quas enumeraverit, instrumenta nominat: ea sunt λόγος, ἁρμονία, ῥυθμός. Quae si uno nomine comprehendere volueris, Aristotele ipso teste invenies τὴν φωνήν. Et de sermone quidem (λόγος) non dubitabis, numerum vero et concentum, quibus eae artes utuntur, quae antea enumerabantur, sono solo percipi posse et per se apparet, et Aristoteles ipse eos uno verbo, quod est φωνή, comprehendit (probl. ιθ, no. 29. p. 920, a 3.): διὰ τί οἱ ῥυθμοὶ καὶ τὰ μέλη, φωνὴ οὖσα, ἤθεσιν ἔοικεν; ἡ φωνὴ igitur nihil aliud est, nisi unum nomen, quo tria illa instrumenta artium poeticarum includuntur. Id autem optime in artes antea enumeratas cadit, quarum nulla sono carere possit (ἐποποιία, τραγῳδία, κωμῳδία, διθυραμβοποιητική, τῆς αὐλητικῆς ἡ πλείστη καὶ κιθαριστικῆς). Verbum enim, quod est φωνή, non solum vivis convenit, sed etiam de instrumentis musicis usurpatur. cf. Ar. de an. II. c. VIII. p. 420, b. 5 ff: ἡ φωνὴ ψόφος τίς ἐστιν ἐμψύχου. τῶν γὰρ ἀψύχων οὐδὲν φωνεῖ, ἀλλὰ καθ' ὁμοιότητα λέγεται φωνεῖν, οἷον αὐλὸς καὶ λύρα, καὶ ὅσα ἄλλα τῶν ἀψύχων ἀπότασιν ἔχει καὶ μέλος καὶ διάλεκτον. ἔοικε γάρ, ὅτι καὶ ἡ φωνὴ ταῦτ' ἔχει. Itaque si illud ἕτεροι δὲ διὰ τῆς φωνῆς recte legeretur, ubi nunc quidem legitur, artes poeticae cum ipsis compararentur; quod fieri non potest. Retinenda igitur videtur esse illa conjectura ἕτεροι δὲ διὰ τῆς φύσεως (cf. huj. diss. p. 23). Jam si Platonicae artium divisionis recordatus eris, qua eae artes, quae καὶ χρώμασι καὶ σχήμασι utuntur, iis oppositae sunt, quae τῇ φωνῇ imitantur, mira-

beris, quod priore illius divisionis parte inventa (καὶ χρώμασι καὶ σχήμασι), alteram frustra quaeris. Quare vel hac de causa post verba, quae sunt οὕτω κἀν ταῖς εἰρημέναις τέχναις reponerem διὰ τῆς φωνῆς, etiamsi codicibus haec verba non traderentur. Neque enim persuadere mihi possum, Aristotelem, qui Platonis sententias optime norat, perspicuam hanc artium poeticarum et artium signorum imaginumque fabricandorum distinctionem neglexisse, quum minora ipsis verbis receperit. Quod autem requirimus, apud Aristotelem ipsum invenitur, dummodo illud διὰ τῆς φωνῆς, quod ubi codices collocant, ibi ferri non posse videbamus, in sua sede reposuerimus et haec legerimus: ὥσπερ γὰρ καὶ χρώμασι καὶ σχήμασι πολλὰ μιμοῦνταί τινες ἀπεικάζοντες, — οἱ μὲν διὰ τέχνης, οἱ δὲ διὰ συνηθείας, ἕτεροι δὲ διὰ τῆς φύσεως —, οὕτω κἀν ταῖς εἰρημέναις τέχναις διὰ τῆς φωνῆς. Illae artes in sequentibus saepius inter se comparantur. cf. a. p. c. II; c. IV. p. 1448, b 10; c. VI. p. 1450, a 27; ibid. b. 1; c. XV. p. 1454, b 10; c. XXV. p. 1460, b 30; p. 1461, b 13.

Accedit altera causa ex Aristotele ipso sumta. In initio enim capitis primi artes poeticas enumerat sex: ἐποποιίαν, τὴν τῆς τραγῳδίας ποίησιν, κωμῳδίαν, τὴν διθυραμβοποιητικὴν, τῆς αὐλητικῆς τὴν πλείστην καὶ κιθαριστικῆς. Has artes paulo post respicit (p. 1447, a 22), dum dicit οὕτω κἀν ταῖς εἰρημέναις τέχναις; eas enim sermone, numero, concentu uti; dum autem pergit de his artibus disserere, expositionem de arte saltatoria inserit (p. 1448, a 27), quam initio non enumeraverat, et quae, quoniam genere diversa ab illis est, sub nullam earum cadit; ipse autem se excusat, cur hoc maxime loco de ea verba faciat. Jam quaerendum esse, cur illam non statim ab initio enumeraverit, Vahlenus bene vidit, qui in annalibus acad. Vindob.

vol. L. p. 267 haec dicit: Im Rhythmus allein bewegt sich zweitens die Orchestik. Diese war in der ursprünglichen Aufzählung übergangen, auf die durch κἀν ταῖς εἰρημέναις τέχναις so bestimmt zurückverwiesen wird.... Einen Grund, weshalb Aristoteles neben Auletik und Kitharistik die Orchestik nicht gleich im Eingange der Erörterung aufgeführt, weiss ich nicht zu finden; und dennoch scheint der begründende Zusatz (καὶ γὰρ οὗτοι etc.) ein Fingerzeig darauf zu sein, dass die Orchestik erst nachträglich in den ihr von Anfang gebührenden Platz eingeführt worden. Jam duo cogitari possunt: Aristoteles enim aut leviter egit, dum illas artes enumerat, de quibus dicturus est, quoniam unam a reliquis genere diversam omisit, nihilominus tamen de ea paulo post verba facit eo loco, ubi de enumeratis artibus se disserere affirmat; aut certa quadam norma in enumerandis illis artibus usus est, qua quidem ars saltatoria excluditur. Quam nisi habuisset, sed neglegenter tantum saltatores omisisset, fieri vix potuit ut se excusaret, cur de ea verba faceret. Ea excusatione enim si nihil aliud indicare Aristoteles vellet, nisi se initio neglegenter egisse, mira faceret, quod illam neglegentiam facillime corrigere poterat inserenda arte saltatorum priori artium ordini; itaque illa excusatio eum spectat, qui Aristotelem, quo enumerandi fundamento initio usus erat, de hac arte verba facturum esse non putat. Concludamus igitur oportet, eum diligenter et non ignarum illam supra omisisse, quoniam certa norma enumerandi utebatur, qua saltatores excluduntur. Eam codicibus tradi, quamquam suo loco non ponatur, jam ostendi: generale enim instrumentum, quo illae artes utuntur, est sonus (ἡ φωνή); apparet autem, in iis artibus, quae sono utuntur, saltatores locum non habere. Itaque etiam hac de causa

illud διὰ τῆς φωνῆς post οὕτω κἂν ταῖς εἰρημέναις τέχναις ponendum videtur esse, ut quo dividendi fundamento Aristoteles usus est, id etiam ab ipso nominetur.

Quod denique ad verba attinet, quae traduntur: — οἱ μὲν διὰ τέχνης, οἱ δὲ διὰ συνηθείας, ἕτεροι δὲ διὰ τῆς φωνῆς — facile intellegi potest, quomodo ea perturbatio sit orta ex verbis genuinis: οἱ μὲν διὰ τέχνης, οἱ δὲ διὰ συνηθείας, ἕτεροί δὲ διὰ τῆς φύσεως, — οὕτω κἂν ταῖς εἰρημέναις τέχναις διὰ τῆς φωνῆς. Librarius enim postquam bis scripsit διὰ cum genetivis in ης et ας exeuntibus, a tertio διὰ τῆς cum verbo a littera φ incipiente oculis aberravit ad quartum διὰ τῆς cum verbo in φ incipiente et in ης exeunte conjunctum, et scripsit ἕτεροι δὲ διὰ τῆς φωνῆς, ubi scribere debebat ἕτεροι δὲ διὰ τῆς φύσεως; verba autem διὰ τῆς φωνῆς, quae post τέχναις scribenda erant, sensum non plane perspiciens omisit, ne bis idem poneret. Vix autem intellegi potest, quomodo ex verbis διὰ τῆς φύσεως aliquis facturus fuerit διὰ τῆς φωνῆς, nisi id jam alibi in eadem verborum serie invenisset. Quoniam igitur διὰ τῆς φωνῆς neque ubi nunc legitur, ferri neque intellegi potest, unde in textum venturum fuerit, nisi alicubi jam stetisset, concludi oportet διὰ τῆς φωνῆς transponendum esse.

Quod autem recepi conjecturam ἕτεροι δὲ διὰ τῆς φύσεως, primum illud ἕτεροι δὲ, quod restat, si διὰ τῆς φωνῆς transposueris, ostendit, aliud quid hic stetisse. Deinde Aristoteles, quam diversitatem etiam in arte poetica aliquoties statuit naturalis indolis et artis (a. poet. c. VIII. p. 1451, a 25. Ὅμηρος καὶ τοῦτ' ἔοικε καλῶς ἰδεῖν, ἤτοι διὰ τέχνην ἢ διὰ φύσιν), eam hic neglegeret; et dum ita incipit, ac si, quae fieri solent, ea omnia enumeraturus esset (οἱ μὲν, οἱ δὲ), ex duabus par-

tibus, quarum altera alteram poscit, unam tantum nominaret; quare nullus dubito, quin illa conjectura ipsius Aristotelis verba restituantur.

Tribus autem verbis τέχνη, συνήθεια, φύσις gradatio quaedam inest, num quis in proferendis operibus causarum cognitionem plenam, mancam, nullam habeat. — Jam omnia recte procedunt: Ars imitatoria enim in suas partes dividitur; qua norma Aristoteles artes poeticas a ceteris secernat, cur artem saltatoriam ab iis removerit, apparet.

Addit autem Aristoteles artem saltatoriam (p. 1447, a 27 f.), ne quam artem omittat, quae et imitetur et uno ex tribus illis elementis utatur. Ea ars enim media inter duas illas partes interest, quas modo statuerat; ab altera parte enim, quae καὶ σχήμασι καὶ χρώμασι imitatur, σχήματα accepit, ab altera, quae sono utitur, numeros. cf. p. 1447, a 27: αὐτῷ δὲ τῷ ῥυθμῷ μιμοῦνται χωρὶς ἁρμονίας οἱ τῶν ὀρχηστῶν, καὶ γὰρ οὗτοι διὰ τῶν σχηματιζομένων ῥυθμῶν μιμοῦνται etc. Quod jam Plato clare exponit. In lgg. enim II. p. 672 E. haec leguntur: ὅλη μέν που χορεία ὅλη παίδευσις ἦν ἡμῖν, τούτου δ' αὖ τὸ μὲν ῥυθμοί τε καὶ ἁρμονία, τὸ κατὰ τὴν φωνήν, τὸ δὲ κατὰ τὴν τοῦ σώματος κίνησιν ῥυθμὸν μὲν κοινὸν τῇ τῆς φωνῆς εἶχε κινήσει, σχῆμα δὲ ἴδιον et p. 673 A.: τὸ δέ γέ που τοῦ σώματος, ἃ παιζόντων ὄρχησιν εἴπομεν etc. Distinguit Plato inter motum corporis et vocis, et corporis motum quidem saltationem tum esse, quum corpus certo numero moveatur; utrique autem, et vocis et corporis artificioso motui numerum esse communem, proprias habere saltationem figuras; saltationem igitur nominare licet ῥυθμὸν ἐν σχήμασιν. Itaque eandem, quam Aristoteles etiam Plato saltatoris notionem statuit, nisi quod, ut saepius, Aristoteles ex elementis a Platone traditis novum nomen procudit, saltationemque fieri dicit διὰ τῶν σχηματιζομένων ῥυθ-

μῶν. Qui sint οἱ τῶν ὀρχηστῶν (a. poet. a. 1447, a 27), comparatis Platonis verbis Vahlenus ostendit. In lgg. enim VII, p. 795 D, E. duo genera saltatorum distinguuntur: alterum, qui saltando imitantur, alterum, qui non imitantur, sed saltant, ut quandam corporis habilitatem assequantur; apparet autem, de priore genere hic agi. Quae saltatio quomodo orta sit, Plato ibid. p. 816 A. bene exponit: ὅλως φθεγγόμενος, εἴτ' ἐν ᾠδαῖς εἴτ' ἐν λόγοις, ἡσυχίαν οὐ πάνυ δυνατὸς τῷ σώματι παρέχεσθαι πᾶς. διὸ μίμησις τῶν λεγομένων σχήμασι γενομένη τὴν ὀρχηστικὴν εἰργάσατο τέχνην ξύμπασαν. Saltationem ex eo esse ortam, quod, qui aliquid vel narrando vel canendo proferat, id etiam corporis motu repraesentare studeat.

Iis verbis, quae sequuntur (p. 1447, a 23), ἅπασαι μὲν ποιοῦνται τὴν μίμησιν ἐν ῥυθμῷ καὶ λόγῳ καὶ ἁρμονίᾳ quasi partes illius sonus enumerantur, quo artes poeticae utuntur. Easdem Plato saepius conjungit. cf. rep. III, p. 398 D: τὸ μέλος ἐκ τριῶν ἐστι συγκείμενον· λόγου τε καὶ ἁρμονίας καὶ ῥυθμοῦ. lgg. II, p. 661 C: ταῦτα δὴ λέγειν (πείσετε τοὺς ποιητὰς) καὶ ἔτι τούτοις ἑπομένους ῥυθμούς τε καὶ ἁρμονίας. Quodsi in Gorgia quatuor elementa poesis enumerantur, tamen re vera aliud quidquam non accedit. p. 502: Σωκρ. φέρε δή, εἴ τις περιέλοιτο τῆς ποιήσεως πάσης τό τε μέλος καὶ τὸν ῥυθμὸν καὶ τὸ μέτρον, ἄλλο τι, ἢ λόγοι γίγνονται τὸ λειπόμενον; Verbum enim, quod est μέλος, hic eodem sensu usurpatur atque ἁρμονία in republica, metrum vero et sermo, quae hic discernuntur, in republica in unum comprehenduntur; metrum enim aliter percipi non potest, nisi verbis et sermone exprimitur. Utrique igitur λόγος, ἁρμονία, ῥυθμός poesis elementa sunt; quorum utrum quodque solum, an duo vel tria composita adhibeantur, novum dividendi fundamentum

praebet. p. 1447, a 24: τούτοις δ' ἢ χωρὶς ἢ μεμιγμένοις; deinde singulae artes describuntur, quae quibus instrumentis utantur: οἷον ἁρμονίᾳ μὲν καὶ ῥυθμῷ χρώμεναι μόνον ἥ τε αὐλητικὴ καὶ ἡ κιθαριστική, κἂν εἴ τινες ἕτεραι τυγχάνουσι τοιαῦται οὖσαι τὴν δύναμιν, οἷον ἡ τῶν συρίγγων . . . ., ἡ δ' ἐποποιία μόνον τοῖς λόγοις ψιλοῖς ἢ τοῖς μέτροις etc. Haec paene ad verbum in Platonis legibus p. 669 D. E. invenies: ταῦτά τε γὰρ ὁρῶσι πάντα κυκώμενα, καὶ ἔτι διασπῶσιν οἱ ποιηταὶ ῥυθμὸν μὲν καὶ σχήματα μέλους χωρὶς, λόγους ψιλοὺς εἰς μέτρα τιθέντες, μέλος δ' αὖ καὶ ῥυθμὸν ἄνευ ῥημάτων, ψιλῇ κιθαρίσει τε καὶ αὐλήσει προςχρώμενοι, ἐν οἷς δὴ παγχάλεπον ἄνευ λόγου γιγνόμενον ῥυθμόν τε καὶ ἁρμονίαν γιγνώσκειν, ὅτι βούλεται. Plato igitur dicit, oportere poetam tria illa elementa in carminibus componendis conjuncta adhibere et vituperat, quod tum temporis segregentur; partim enim concentu neglecto ex solis verbis carmina componi, partim artifices concentu et numero solis uti, verba omittentes. Quod enim dicitur λόγοι ψιλοὶ, non prosa oratio, sed oratio modorum musicorum societate destituta significatur, verba autem, quae sunt μέλος et ἁρμονία, mutuo alterum pro altero ponuntur; nam quod prius dicebatur μέλος δ' αὖ καὶ ῥυθμὸν ἄνευ ῥημάτων, idem paulo post sic exprimitur: ῥυθμόν τε καὶ ἁρμονίαν ἄνευ λόγου.

| Aristoteles igitur haec dicit: | Plato: |
| --- | --- |
| 1. ἁρμονίᾳ μὲν καὶ ῥυθμῷ χρώμεναι μόνον ἥ τε αὐλητικὴ καὶ ἡ κιθαριστική. | διασπῶσι ... μέλος δ' αὖ καὶ ῥυθμὸν ἄνευ ῥημάτων, ψιλῇ κιθαρίσει τε καὶ αὐλήσει προςχρώμενοι. |
| 2. ἡ δ' ἐποποιία μόνον τοῖς λόγοις ψιλοῖς ἢ τοῖς μέτροις. | λόγους ψιλοὺς εἰς μέτρα τιθέντες. |

Hoc uno Aristoteles a Platone differt, quod ille poesin epicam, quod nomen usu traditum nova induit significatione, et pedestri et metrica oratione constare posse affirmat, Plato metricam orationem modo ei assignat. Λόγοι ψιλοὶ enim apud Aristotelem prosam orationem significant, quae tamen aeque atque apud Platonem concentu caret. In sequentibus Aristoteles eorum sententiam impugnat, qui, quemcunque versus facere sciunt, eum poetam salutant; neque enim illum qui versus faciat, sed qui imitetur, esse poetam. Quae imitatio quid sibi velit, jam exposui; liceat tamen Vahleni verba adscribere, quibus illud et brevissime et optime exprimitur: μίμησις ist die nach dem Gesetz der Wahrscheinlichkeit und Nothwendigkeit vollzogene dichterische Umbildung des gegebenen Stoffes (annales acad. Vindob. 1865. vol. L. p. 266 et 293). Aristoteles autem haec dicit (p. 1447, b 13 ff.): homines, copulantes cum metro „facere" alios elegifices, alios epifices nominant, non tam, qui secundum imitationem sunt, poetas, quam communiter secundum metrum appellantes. etenim si medicum quoddam, vel musicum per metra efferant, sic vocare consueverunt. nihil autem commune est Homero et Empedocli praeter metrum; quamobrem illum justum est poetam vocare, hunc autem physiologum potius quam poetam. Et apud Platonem quidem saepius talia inter se opposita inveniuntur: ἐν μέτρῳ ὡς ποιητὴς, ἢ ἄνευ μέτρου ὡς ἰδιώτης Phaedr. 258 D; φράσω δὲ ἄνευ μέτρου, οὐ γάρ εἰμι ποιητικός rep. 393 D; rep. 607 D. δοῖμεν δέ γέ που ἂν καὶ τοῖς προστάταις αὐτῆς, ὅσοι μὴ ποιητικοὶ, φιλοποιηταὶ δὲ, ἄνευ μέτρου λόγον ὑπὲρ αὐτῆς εἰπεῖν (scil. τῆς ποιητικῆς); et lgg. p. 810 E. poetae variorum metrorum enumerantur: λέγω μὴν, ὅτι ποιηταὶ ἡμῖν εἰσί τινες ἐπῶν ἑξαμέτρων πάμπολλοι, καὶ τριμέτρων καὶ

πάντων δὴ τῶν λεγομένων μέτρων. Utrum igitur aliquis poeta sit necne, ex eo intellegitur, metrone utatur necne. Talia Aristoteles alibi quoque refutat. C. IX. p. 1451, b 1. ff enim haec dicit: ὁ γὰρ ἱστορικὸς καὶ ὁ ποιητὴς οὐ τῷ τὰ ἔμμετρα λέγειν ἢ ἄμετρα διαφέρουσιν· εἴη γὰρ ἂν τὰ Ἡροδότου εἰς μέτρα τεθῆναι, καὶ οὐδὲν ἧττον ἂν εἴη ἱστορία τις μετὰ μέτρου ἢ ἄνευ μέτρων. Quare non dubito, quin Aristoteles, quum de diversitate poetae et versuum fabricatore scriberet, etiam de Platone recordatus sit. Semel modo, ubi Plato obiter tangens de poetis loquitur, veritatis quendam sensum ostendit. In Theaeteto enim p. 152 E. haec leguntur: καὶ περὶ τούτου ἑξῆς οἱ σοφοὶ πλὴν Παρμενίδου ξυμφέρεσθον, Πρωταγόρας τε καὶ Ἡράκλειτος καὶ Ἐμπεδοκλῆς, καὶ τῶν ποιητῶν οἱ ἄκροι τῆς ποιήσεως ἑκατέρας, κωμῳδίας μὲν Ἐπίχαρμος, τραγῳδίας δὲ Ὅμηρος. Hic enim iidem, quos Aristoteles affert, nominantur: et Empedocles et Homerus, Homerusque poeta, Empedocles autem sapiens salutatur.

---

## Caput II.

Expositis capite primo et instrumentis imitationis et eorum vario in variis artibus usu, capite secundo Aristoteles materiem artis poeticae certis finibus includit. Quasi vero notissimum sit, neque demonstratione egeat, id Aristoteles sibi sumit, artem imitatoriam omnino imitari πράττοντας. C. II. p. 1448, a 1: ἐπεὶ δὲ μιμοῦνται οἱ μιμούμενοι πράττοντας etc. Plato vero in rei publicae libro decimo duplicem imitandi materiem poetis assignat, quarum altera ex communi ejus temporis de poetis judicio de-

prompta est, optimeque ad illam imitationis notionem quadrat, qua poetae operum suorum notitiam habere negarentur; altera, eaque verior ex ipsis poetarum fabulis adspiciendis derivatur. Et de priore quidem parte agitur p. 595 A — p. 603 B, de altera p. 603 B — 608 B. Plerique enim homines, si Platoni credis, eo tempore poetas non solum carmina bene componere posse putabant, sed etiam omnium artium, quarum mentionem in carminibus fecerant, plane peritos esse, cum alios tum Homerum. cf. rep. p. 598 D: οὐκοῦν μετὰ τοῦτο ἐπισκεπτέον τήν τε τραγῳδίαν καὶ τὸν ἡγεμόνα αὐτῆς Ὅμηρον, ἐπειδή τινων ἀκούομεν, ὅτι οὗτοι πάσας μὲν τέχνας ἐπίστανται, πάντα δὲ τὰ ἀνθρώπεια τὰ πρὸς ἀρετὴν καὶ κακίαν, καὶ τά γε θεῖα. et p. 599 A: .... ἢ τί καὶ λέγουσι καὶ τῷ ὄντι οἱ ἀγαθοὶ ποιηταὶ ἴσασι περὶ ὧν δοκοῦσι τοῖς πολλοῖς εὖ λέγειν; et subinde ea enumerantur, de quibus multitudini bene dicere videntur, neque tamen, quae expectas, hominum res gestae variaeque fortunae, sed nonnullae artes (p. 599 C. D.). Ita Homero adsignantur ars medicina, ars imperatoria, ars rei publicae bene constituendae, ars hominum ad meliora educandorum. Tali autem judicio, poetam ejus artis, cujus illustre exemplum in carmine suo ostenderit, ipsum esse peritum, factum videtur esse, ut Sophocles propter insignem, quam data Antigona sibi pepererat nominis celebritatem, praetor adversus Samios crearetur. Ejusmodi maxime sententiis Plato resistit, facillimeque cum aliis causis tum imitationis, quam sibi finxit, notione refellit. Tantum vero abest ut ex eo concludat, re vera poetae non esse omnium artium scientiam habere, ut affirmet, quoniam poetae illud non possint, quamquam propositum habeant, eam ipsam ob causam eos ex re publica expellendos esse. Nam persuasum habet, poetas de talibus

artibus, quatenus artes sint, dicere velle et putare, se omnia recte intellegere, cf. p. 599 C: περὶ δὲ ὧν μεγίστων τε καὶ καλλίστων ἐπιχειρεῖ λέγειν Ὅμηρος, πολέμων τε πέρι καὶ στρατηγιῶν καὶ διοικήσεων πόλεων καὶ παιδείας πέρι ἀνθρώπου, δίκαιόν που ἐρωτᾶν etc. Vides vero, ne hic quidem a Platone ullam diversitatem inter imitationem poeticam et quamlibet imitationem statui. Fieri enim potest, ut quis artificem, quatenus artifex est, imitetur arte illius omnino non cognita, ut pueri ludentes omnes artes repraesentare student; id quod vernacule dicimus nachmachen. Eandem autem imitationem Plato poetis assignat; quamobrem carmina didactica, quae nominamus, ei poetarum opera videntur esse. cf. rep. p. 601 A. B. Quam imitandi materiem Aristoteles jam in primo capite rejecit, iterumque in nostro capite et in capite XXV.

Alteram, cujus mentionem feci, imitandi materiem invenies rep. X. p. 603 C. plane a priore diversam: πράττοντάς φαμεν ἀνθρώπους μιμεῖται ἡ μιμητικὴ βιαίους ἢ ἑκουσίας πράξεις, καὶ ἐκ τοῦ πράττειν ἢ εὖ οἰομένους ἢ κακῶς πεπραγέναι, καὶ ἐν τούτοις δὴ πᾶσιν ἢ λυπουμένους ἢ χαίροντας. μή τι ἄλλο ᾖ παρὰ ταῦτα; οὐδέν. Quae Aristotelicis verbis: ἐπεὶ δὲ μιμοῦνται οἱ μιμούμενοι πράττοντας tam similia sunt, ut ea similitudo fortuita esse vix possit.

Quae autem diversitas apud Aristotelem inter τὸ πράττειν est et τὸ ποιεῖν, ea hic plurimi habenda est. Paucis enim his verbis, quibus poetae vetantur imitari ποιοῦντας, ex poesis finibus expelluntur imitationes artificum, fabrorum, operarum, quatenus artem aliquam exercent; excluduntur, ut brevi dicam, carmina et didactica et descriptiva, quae Platoni non minus quam reliqua, poetarum opera videntur esse. Aristoteles enim quum intellexisset, Platonem,

si suo jure contendisset, poetas carminibus suis variarum artium omnisque doctrinae imagines ostendere velle, non minus recte negasse, quemquam poetam bonum carmen condere, cognovit, simul artem poeticam omnino tolli. Ex qua pernicie eam his sex verbis servavit hominesque, quatenus homines sint, non quatenus artifices, materiem imitationis poetis assignavit. Ex hac vero summa lege necessario sequitur, fabulam, id est actionum compositionem quasi animam esse carminis, et in eo fundamento paene tota ars poetica est collocata. Aristoteles igitur Platonem respicit, alteramque materiarum ab illo propositarum recipit, alteram rejicit; quod ita facit, quasi omnibus notum sit, neque ulla demonstratione egeat, poetas nihil imitari nisi πράττοντας; et jam in primo capite talia carmina poemata esse negat, quoniam non imitentur, qualia Platoni non minus imitari videbantur. Imitationis autem notionem, a Platonis diversam, qua hic utitur, in sequentibus demum passim hic illic attingit, in primo autem capite quasi omnibus notam ad Platonem eique similes homines refellendos adhibet. Hac de causa probabile mihi videtur, Aristotelem jam antea alicubi suam imitationis notionem fusius exposuisse. In librorum deperditorum autem numero dialogus nominatur, qui inscribitur περὶ ποιητῶν, quem de diversitate, quae interest inter τὸ ποιεῖν et τὸ πράττειν, egisse et ostendisse, quid poeta faciat, dum ποιεῖ, Bernaysius demonstravit in libello, qui agit de Aristotelis dialogis p. 60—62. Quum autem jam viderimus, non metri usu quemquam poetam fieri, sed eo, quod imitetur (cf. hujus dissert. p. 13), apparet, in eo dialogo id ipsum maxime Aristotelem exposuisse, et probabile videtur, etiam hic eum Platonem impugnasse, ejusque et imitationis et poetae notionem correxisse; quod fragmento apud Athenaeum XI. p. 505 ser-

vato optime probatur (cf. Bernaysii libellum, qui inscribitur: Grundzüge der verlornen Abhandlung des Aristoteles über Wirkung der Tragödie p. 186, 187): Ἀριστοτέλης δ' ἐν τῷ περὶ ποιητῶν οὕτως γράφει· οὐκοῦν οὐδὲ ἐμμέτρους τοὺς καλουμένους Σώφρονος μίμους μὴ φῶμεν εἶναι λόγους καὶ μιμήσεις, ἢ τοὺς Ἀλεξαμενοῦ τοῦ Τηίου τοὺς πρώτους γραφέντας τῶν Σωκρατικῶν διαλόγων; quae Bernaysius ita vertit l. l.: „Sollen wir dennoch leugnen, dass die nicht einmal metrischen, aber schon durch ihren Namen als Nachahmungen auftretenden Werke des Sophron oder die Dialoge des Alexamenos von Teos, die ersten sokratischen, welche geschrieben wurden, Prosa und dennoch Nachahmungen (mithin Dichtungen) seien?“ Sophronis mimi igitur, quamquam metrica oratione non erant conscripti, nihilominus tamen imitationes sunt. Quoniam autem imitationes sunt, ideo poemata nominantur in artis poeticae c. I. p. 1447, b 1 ff. Itaque haec habes: Aristoteles in illo dialogo Platonis sententiam impugnabat, metri usu quemquam poetam fieri (οὐδὲ ἐμμέτρους), ostenditque id poetam reddere, quod imitetur. Quod aliter fieri non potuit, nisi sua ipsius imitationis notione, eaque a Platonis diversa exponenda; necessarium igitur videtur, eum etiam de imitationis materia disseruisse. Quum autem in dialogo imitationis notionem jam fusius exposuerit, in libro de arte poetica iis utitur, quae illic invenit (quod se facere, Aristoteles diserte dicit in rep. IV. p. 1323, a 17).

Aristoteles deinde in c. II, quam proposuit agentium hominum imitatoribus materiem, in formas dividit: ἐπεὶ δὲ μιμοῦνται οἱ μιμούμενοι πράττοντας, ἀνάγκη δὲ τούτους ἢ σπουδαίους ἢ φαύλους εἶναι (τὰ γὰρ ἤθη σχεδὸν ἀεὶ τούτοις ἀκολουθεῖ μόνοις· κακίᾳ γὰρ καὶ ἀρετῇ τὰ ἤθη διαφέρουσι πάντες·) ἤ τοι etc. Ea divisione Plato in

legibus saepius utitur; cf. lgg. II. p. 655. B: καὶ ἵνα δὴ μὴ μακρολογία πολλή τις γίγνηται περὶ τοῦθ' ἡμῖν, ἅπαντα ἁπλῶς ἔστω τὰ μὲν ἀρετῆς ἐχόμενα ψυχῆς ἢ σώματος, εἴτε αὐτῆς εἴτε τινὸς εἰκόνος, ξύμπαντα σχήματά τε καὶ μέλη καλὰ (id est tota musica. 655 A.), τὰ δὲ κακίας αὖ τοὐναντίον ἅπαν, et lgg. VII. p. 798 D: Ἀθ. Τί οὖν; τοῖς ἔμπροσθεν λόγοις πιστεύομεν, οἷς ἐλέγομεν, ὡς τὰ περὶ τοὺς ῥυθμοὺς καὶ πᾶσαν μουσικήν ἐστι τρόπων μιμήματα βελτιόνων καὶ χειρόνων ἀνθρώπων, ἢ πῶς; Κλ. οὐδαμῶς ἄλλως. Pictores et poetae, qui deinde ab Aristotele comparantur, apud Platonem quoque saepius componuntur; cf. rep. II. p. 377 E. ὅταν εἰκάζῃ τις κακῶς τῷ λόγῳ περὶ θεῶν τε καὶ ἡρώων οἷοί εἰσιν, ὥσπερ γραφεὺς etc. Ita passim in rei publicae libro decimo. Quin omnino inter se respondere pictura et poesis dicuntur p. 605 A: οὐκοῦν δικαίως ἂν αὐτοῦ (τοῦ ποιητοῦ) ἤδη ἐπιλαμβανοίμεθα, καὶ τιθεῖμεν ἀντίστροφον αὐτὸν τῷ ζωγράφῳ; et metra, numerus, concentus colores artis musicae nominantur rep. p. 601 B. Homines autem naturae fines superantes (apud Aristotelem βελτίονες ἢ καθ' ἡμᾶς) interdum pingi, Plato in rei publicae V. p. 472 D. affirmat: οἴει ἂν οὖν ἧττόν τι ἀγαθὸν ζωγράφον εἶναι, ὃς ἂν γράψας παράδειγμα, οἷον ἂν εἴη ὁ κάλλιστος ἄνθρωπος, καὶ πάντα εἰς τὸ γράμμα ἱκανῶς ἀποδοὺς μὴ ἔχῃ ἀποδεῖξαι, ὡς καὶ δυνατὸν γενέσθαι τοιοῦτον ἄνδρα; Μὰ Δί' οὐκ ἔγωγ', ἔφη. Eam autem materiae diversitatem omnibus artibus imitatoriis communem esse Plato non minus quam Aristoteles affirmat, et Aristoteles quidem haec dicit (c. II. p. 1448, a 7 ff.): δῆλον δὲ, ὅτι καὶ τῶν λεχθεισῶν ἑκάστη μιμήσεων ἕξει ταύτας τὰς διαφορὰς καὶ ἔσται ἑτέρα τῷ ἕτερα μιμεῖσθαι τοῦτον τὸν τρόπον. Simile quid Plato affirmat in legibus II. p. 655 A — D. de tota musica, quam χορείαν appellat

et quae etiam poesin significare videtur (cf. ib. D. ἐπειδὴ μιμήματα τρόπων ἐστὶ τὰ περὶ τῆς χορείας . . . . . , οἷς μὲν ἂν πρὸς τρόπου τὰ ῥηθέντα ἢ μελῳδηθέντα ἢ καὶ ὁπωσοῦν χορευθέντα ᾖ etc.). Sub illam χορείαν igitur et ea artis opera cadunt, quae concentu carent, et quae eo utuntur; quae opera p. 655 C ita dividuntur: οὐ γάρ που ἐρεῖ γέ τις, ὥς ποτε τὰ τῆς κακίας ἢ ἀρετῆς καλλίονα χορεύματα. Ars saltatoria autem diserte ita dividitur in legum libro septimo p. 814 E: δύο μὲν αὐτῆς (τῆς ὀρχήσεως) εἴδη χρὴ νομίζειν εἶναι, τὴν μὲν τῶν καλλιόνων σωμάτων ἐπὶ τὸ σεμνὸν μιμουμένην, τὴν δὲ τῶν αἰσχιόνων ἐπὶ τὸ φαῦλον, καὶ πάλιν τοῦ φαύλου τε δύο καὶ τοῦ σπουδαίου δύο ἕτερα. Vides hic etiam iisdem verbis Platonem uti atque Aristotelem, quae sunt φαῦλος et σπουδαῖος. Vocis denique quae est ψιλομετρία, qua Aristoteles ad carmen epicum metrica oratione compositum, concentu et saltatione destitutum significandum utitur, elementa jam apud Platonem invenies, qui in legum libro secundo p. 669 D. eos poetas vituperat, qui metrum, numerum, concentum dissocient λόγους ψιλοὺς εἰς μέτρα τιθέντες.

Postquam Aristoteles in primo capite exposuit τὸ ἐν οἷς, in altero τὸ ἅ, in tertio aggreditur ad explicandum τὸ ὥς.

## Caput III.

Hoc capite igitur Aristoteles totius artis poeticae genus in suas formas distribuit; quae divisio facilius intellegetur, si antea Platonis tractaverimus, qui de ea disserit in rei publicae libro tertio p. 392 D. — 394 D. Et primum quidem totum artis poeticae genus narratio nominatur p. 392 D: ἆρ' οὐ πάντα, ὅσα ὑπὸ μυθολόγων ἢ ποιητῶν λέγεται,

διήγησις οὖσα τυγχάνει ἢ γεγονότων ἢ ὄντων ἢ μελλόντων; Τί γὰρ, ἔφη, ἄλλο; Deinde haec narratio in suas formas dividitur: Fieri enim posse, ut narretur aut simpliciter, aut per imitationem, aut narratione, quae ex utraque forma mixta sit, quod Homeri exemplo demonstratur. Homeri enim totam Iliadem narrationem esse; Homerum autem modo ita narrare ut eum, qui narret, Homerum putemus esse; — quod fit, si tertia persona utitur, — modo ita, ut non Homerus, sed alius quis velut Chryses sacerdos esse videatur; neque tamen eas personarum orationes minus Homeri narrationem esse, quam illas carminis partes, ubi alia persona non induatur; priorem illum modum esse simplicem narrationem, alterum per imitationem fieri; tertium ex utraque forma mixtum esse, cujus generis Ilias ipsa exemplum praebeat. Quod si fundamentum hujus divisionis quaerentes interrogamus, ex qua una re formarum differentiae spectentur, invenimus, quomodo poeta, qui narrat, se ipse narrans habeat, eo carmen aliquod destinari; ita fit carmen dramaticum, si poeta totam fabulam per imitationem narrat, p. 394 B: οἶμαί σοι ἤδη δηλοῦν, ὅτι τῆς ποιήσεώς τε καὶ μυθολογίας ἡ μὲν διὰ μιμήσεως ὅλη ἐστὶν, ὥσπερ σὺ λέγεις, τραγῳδία τε καὶ κωμῳδία, eaque imitatio ita definitur p. 393 C: οὐκοῦν τό γε ὁμοιοῦν αὑτὸν ἄλλῳ ἢ κατὰ φωνὴν ἢ κατὰ σχῆμα μιμεῖσθαί ἐστιν ἐκεῖνον, ᾧ ἄν τις ὁμοιοῖ; Quod si Homerus initio Iliadis narrat, quae Chryses dixerit, ita nos afficere vult, ut putemus non Homerum loqui, sed sacerdotem (p. 393 B.), et se ipsum Chrysae parem reddit. Quare si quis ea, quae in carmine epico inter heroum orationes interposita sunt, omiserit, eum tragoediam perfectam habiturum esse; cf. p. 394 B: Μάνθανε τοίνυν, ἦν δ' ἐγὼ, ὅτι ταύτης αὖ ἐναντία γίγνεται, ὅταν τις τὰ τοῦ ποιητοῦ τὰ με-

ταξὺ τῶν ῥήσεων ἐξαιρῶν τὰ ἀμοιβαῖα καταλείπῃ. Καὶ τοῦτο, ἔφη, μανθάνω, ὅτι ἔστι τὸ περὶ τὰς τραγῳδίας τοιοῦτον. Itaque si poeta dramaticus fabulam componit, se ipsum deinceps personis fabulae et verbis et actionibus similem reddit eoque modo auditoribus fabulam narrat. Quod optime vides ex eo, quod a Platone vetatur p. 395 B — 398 C. Vetantur autem custodes urbis, si in narratione unquam imitentur, imitari stultos et improbos homines; cf. p. 395 D, E: οὐ δὴ ἐπιτρέψομεν . . . . αὐτοὺς . . . μιμεῖσθαι . . ἄνδρας κακούς etc; οἶμαι δὲ οὐδὲ μαινομένοις ἐθιστέον ἀφομοιοῦν αὐτοὺς ἐν λόγοις οὐδ' ἐν ἔργοις. In tota hac quaestione igitur ea imitatio, quae semper fit, si quis rerum gestarum quasi imaginem auditoribus praebere studet, pro eadem habetur, atque poetae dramatici imitatio. Si quis enim sua ipsius voce, gestu, actione exprimit, quod alius dixit aut fecit, is dramatice imitatur. Verbum autem, quod est μιμεῖσθαι, artiore hic sensu usurpatur, quam alibi apud Platonem, ubi omnes poetae imitari dicuntur. Ea omnia in unum comprehenduntur p. 394 C: οἶμαί σοι ἤδη δηλοῦν, . . . ὅτι τῆς ποιήσεώς τε καὶ μυθολογίας ἡ μὲν διὰ μιμήσεως ὅλη ἐστὶν, ὥσπερ σὺ λέγεις, τραγῳδία τε καὶ κωμῳδία, ἡ δὲ δι' ἀπαγγελίας αὐτοῦ τοῦ ποιητοῦ· εὕροις δ' ἂν αὐτὴν μάλιστά που ἐν διθυράμβοις. ἡ δ' αὖ δι' ἀμφοτέρων ἔν τε τῇ τῶν ἐπῶν ποιήσει, πολλαχοῦ δὲ καὶ ἄλλοθι. Genus igitur, quod dividitur, narratio est, divisionis fundamentum autem in eo ponitur, quomodo poeta in narrando se habeat.

Jam cum hoc Platonica Aristotelicam divisionem comparemus. Aristoteles initio capitis tertii haec dicit: ἔτι δὲ τούτων τρίτη διαφορὰ τὸ ὡς ἕκαστα τούτων μιμήσαιτο ἄν τις· καὶ γὰρ ἐν τοῖς αὐτοῖς καὶ τὰ αὐτὰ μιμεῖσθαι ἔστιν, ὁτὲ μὲν ἀπαγγέλλοντα, — ἢ ἕτερόν τι γιγνόμενον, ὥσπερ Ὅμηρος ποιεῖ, ἢ ὡς τὸν αὐτὸν καὶ μὴ μεταβάλλοντα, — ἢ πάντας (sic

codices) ὡς πράττοντας καὶ ἐνεργοῦντας τοὺς μιμουμένους. Et primo quidem obtutu statim apparet, Aristotelem Platonis divisionem non ignorare; iisdem enim verbis utitur: Aristoteles dicit: ὁτὲ μὲν ἀπαγγέλλοντα, Plato: δι' ἀπαγγελίας αὐτοῦ τοῦ ποιητοῦ; Aristoteles Homeri exemplo utitur, nec minus Plato; Aristoteles dicit, Homerum imitari ἕτερόν τι γιγνόμενον, Plato: ὡς ἄλλος τις ὁ λέγων ἢ αὐτός rep. p. 393 A.; Aristoteles: ἢ ὡς τὸν αὐτὸν καὶ μὴ μεταβάλλοντα; Plato p. 393 C: εἰ δέ γε μηδαμοῦ ἀποκρύπτοιτο ἑαυτὸν ὁ ποιητὴς et p. 393 A. λέγει δὲ αὐτὸς ὁ ποιητὴς καὶ οὐδ' ἐπιχειρεῖ ἡμῶν τὴν διάνοιον ἄλλοσε τρέπειν. Quare nemo adhuc dubitavit, quin Aristoteles celeberrimam hanc Platonis divisionem, quae per totam antiquitatem, ut ita dicam, manavit (C. Suetoni Tranquilli praeter Caesarum libros reliquiae. ed. Aug. Reifferscheid p. 4, 5, not.), noverit, de Aristotelis autem ipsius verbis grammatici adhuc certant. Sunt enim, qui tria artis poeticae genera ab Aristotele hic significari putant, sunt qui duo. Tria genera enim statuunt ex recentioribus Zellerus in hist. phil. Graec. II. 2. p. 618. n. 4; Teichmuellerus in studiorum Aristotelicorum I. p. 22, ita ut Aristotelica divisio Platonicae plane respondeat; Reinkens, qui in libro inscripto Aristoteles über Kunst, besonders über Tragödie p. 26 haec dicit: Diese ganze Stelle giebt übrigens in Kürze, was bei Plato sich findet rep. 393—394; duo genera Franciscus Ritterus in editione artis poeticae p. 96, Uebergius in versione Germanica, Vahlenus in annalibus acad. Vindob. vol. L. p. 372 ff. Quare ad comparationem utriusque philosophi aggredi non licet, priusquam ipsi in Aristotelis verba inquisiverimus.

Qui igitur tria genera statuunt, haec dicunt: a. primum genus contineri verbis: μιμεῖσθαι ἔστιν, ὁτὲ μὲν ἀπαγγέλ-

λοντα, ἢ ἕτερόν τι γιγνόμενον, ὥσπερ Ὅμηρος ποιεῖ. Significari hic poesin epicam, ita ut ἀπαγγέλλοντα idem sit, quod Plato nominat simplicem narrationem; ἢ ἕτερόν τι γιγνόμενον id esse, quod Plato appellat narrationem per imitationem; ex utroque fieri poesin epicam, quam Plato μικτὴν appellat. Quod si verum esset, Aristoteles quid vellet, parum accurate exposuisset; Plato enim dicit, carmen epicum non minus narrationem esse, si poeta aliam induat personam, quam si suam unius semper conservet p. 393 B: οὐκοῦν διήγησις μέν ἐστι καὶ ὅταν τὰς ῥήσεις ἑκάστοτε λέγῃ, καὶ ὅταν τὰ μεταξὺ τῶν ῥήσεων; Aristoteles autem diceret, carmen imitationem quidem semper esse, sed tum solum narrationem, si poeta ex sua persona loquatur, si vero aliam personam induat, jam non amplius eum narrare. Si enim dicit: ὁτὲ μὲν ἀπαγγέλλοντα, ἢ ἕτερόν τι γιγνόμενον, tum, cum ἕτερόν τι poeta fit, jam non amplius ἀπαγγέλλει. Porro parum accurate Aristoteles diceret, si id, quod Plato affert: δι' ἀπαγγελίας αὐτοῦ τοῦ ποιητοῦ, ubi verba αὐτοῦ τοῦ ποιητοῦ gravissima sunt, ita mutaret, ut haec ipsa verba omitteret. b. Alteram deinde partem artis poeticae contineri verbis, quae sunt: ἢ ὡς τὸν αὐτὸν καὶ μὴ μεταβάλλοντα; si qui poeta per totum carmen suam unius personam conservet. Quod vero genus artis poeticae a carmine epico diversum hic significetur, non satis clarum est; cf. Teichmueller. p. 24: Ich meine daher, dass diese Gegensätze der Darstellung (λέξις) nicht propria (ausschliesslich Eigenthümliches) von Epos und Lyrik enthalten, sondern allerdings vorherrschend auf Epos oder Dithyrambus passen, dass aber das Wesen des Lyrischen darin durchaus nicht genügend angegeben ist in seinem Gegensatz zur Erzählung. c. Tertium denique genus contineri verbis: ἢ πάντας ὡς

πράττοντας καὶ ἐνεργοῦντας τοὺς μιμουμένους, eamque esse dramaticam poesin.

Quae divisio num vere Aristotelica sit ut videamus, quaerendum est, num in libro de arte poetica alicubi Aristoteles eam respiciat. In capite vicesimo quarto autem pag. 1460, a 8 ff. duo genera poetarum epicorum distinguit; esse enim qui, ut Homerus faciat, personas in carmine ipsas loquentes producant, esse qui per totum carmen suam ipsorum personam conservent: αὐτὸν δεῖ τὸν ποιητὴν ἐλάχιστα λέγειν . . . . . . οἱ μὲν οὖν ἄλλοι αὐτοὶ μὲν δι' ὅλου ἀγωνίζονται, μιμοῦνται δὲ ὀλίγα καὶ ὀλιγάκις· ὁ δὲ (Ὅμηρος) ὀλίγα φροιμιασάμενος εὐθὺς εἰσάγει ἢ ἄνδρα ἢ γυναῖκα etc. Hic ii ipsi paene iisdem verbis inter se opponuntur, qui in capite tertio. Agitur enim de carmine epico (p. 1459 b, 37 διηγηματική), et in eo genere, dum omnis poeta epicus omnino narrat (διηγεῖται, ἀπαγγέλλει), ii distinguuntur, qui ut Homerus pauca ipsi narrant, plurima per personas referunt, a reliquis, qui plurima ipsi narrant. Haec divisio autem eadem est atque capitis tertii. Quod enim in c. XXIV nominatur μίμησις διηγηματική (p. 1459, b 34 et 37), in c. III dicitur μιμεῖσθαι ἀπαγγέλλοντα; quod in c. XXIV dicitur, Homerum pauca ipsum narrare, sed statim personam loquentem inducere, in c. tertio ita exprimitur: ἢ ἕτερόν τι γιγνόμενον, ὥσπερ Ὅμηρος ποιεῖ; quod in c. XXIV de reliquis poetis epicis dicitur: αὐτοὶ μὲν δι' ὅλου ἀγωνίζονται, μιμοῦνται δὲ ὀλίγα καὶ ὀλιγάκις (μιμεῖσθαι artiore sensu), id in c. III: ἢ ὡς τὸν αὐτὸν καὶ μὴ μεταβάλλοντα. Itaque secundum illud genus, quod neque lyrica, neque epica poesis erat, omnino tollitur, simulque omnes difficultates, quorum supra mentionem feci: omnis poeticae imitationis modus in duo genera dividitur, unum narrandi, agendi

alterum, quorum prius, i. e. genus narrativum duas habet species, sive poeta dum narrat, aliam personam induit, sive narrandi partes in se semper suscipit. Accedit quod in libro de arte poetica secundi illius generis nusquam mentio fit, sed semper duo genera inter se opponuntur, quae sunt ἀπαγγέλλειν et δρᾶν, ita c. VI in tragoediae definitione: δρώντων καὶ οὐ δι' ἀπαγγελίας et c. 23 init: περὶ μὲν οὖν τραγῳδίας καὶ τῆς ἐν τῷ πράττειν μιμήσεως ἔστω ἡμῖν ἱκανὰ τὰ εἰρημένα· περὶ δὲ τῆς διηγηματικῆς etc. Tota autem differentia, quae est inter epicam et dramaticam poesin, in eo versatur, quod altera τῇ ἀπαγγελίᾳ vel διηγήσει, altera τῷ δρᾶν vel πράττειν imitatur; cf. c. XXIV p. 1459, b 17 ff., ubi ex ea ipsa diversitate gravissimae utriusque poesis leges derivantur, et ib. 22—28. Necesse igitur est, in tertii capitis initio duo artis poeticae genera agnoscamus. Unum denique addam; in capite tertio enim, quod cujusque poetarum epicorum speciei summum est, id solum de ea praedicatur. Quoniam enim Homeri proprium est, quod plurima per personas loquitur, simpliciter in divisione, qua est brevitate, dicitur ita narrare ut alias personas induat; quod non minus in altero genere observabis. Teichmuellerus vero l. l. contendit, ita negari Homerum unquam ex sua persona loqui, et ex eo maxime argumento Vahleni divisionem rejicit. Si vero caput tertium cum capite vicesimo quarto comparaveris, concedes, quam explicationem modo dedi, eam recte datam esse.

Quodsi Aristotelicam epicae poesis descriptionem cum Platonica comparamus, videmus genus, quod dividitur, Aristoteli imitationem esse, narrationem quandam Platoni. Fundamentum vero dividendi apud utrumque idem est; quomodo enim poeta in ea imitatione vel narratione se habeat, eo carmen destinatur. Si quis imitetur, Aristoteles

ait, id eum ita facere posse, ut rem narret. Jam restat, ut eo divisionis fundamento observato in poesis dramaticae definitionem inquiramus, quae his verbis ab Aristotele proponitur: ἢ πάντας (sic codd.) ὡς πράττοντας καὶ ἐνεργοῦντας τοὺς μιμουμένους. Longum est, omnes explicationes horum verborum enumerare; id certum est, πάντας mutandum esse in πάντα (ut fecerunt Is. Casaubonus, G. Hermannus, Vahlenus, Bonitzius in indice). Explicationem autem totius loci optimam Isaacus Casaubonus in libro dedisse videtur mihi, qui inscribitur „de Satyrica Graecorum poesi et Romanorum satira libri duo“, qua, quum meliorem proponere non possim, adscribam. In capite tertio libri primi enim haec dicit: „ἢ πάντας ὡς πράττοντας καὶ ἐνεργοῦντας τοὺς μιμουμένους. hic quoque repetenda illa: ἔστι μιμεῖσθαι, omnino autem legendum πάντα, non πάντας. Ita penitus profligata est difficultas hujus loci, quae magnos viros torsit. Licet, inquit philosophus, etiam hoc modo imitari, ut sic omnia imitatione sua exprimant poetae, quasi ipsi agerent et in rerum ipsarum actu versarentur, non otiosi in cellula scriberent. Docte et acute distinxit Aristoteles inter duo: μιμεῖσθαι δρῶντας, imitari eos, qui agunt, quod pertinet ad caput ἃ μιμοῦνται, et μιμεῖσθαι δρῶντα, imitari agendo, quod est proprium capitis πῶς μιμοῦνται.“ Quae explicatio quum per se optime imitationis dramaticae naturam describit, tum duabus maxime de causis vere Aristotelica videtur: ea enim Aristoteli idem in eadem divisione fundamentum servatur, dum reliquis interpretationibus aliud substituitur; ex eo enim, quod poeta in imitatione facit, imitatio dramatica oritur. Deinde, quod summum est, tota ex ea artis dramaticae explicatione pendet, quam Plato proposuit. Quam enim Plato notionem habet ejus narrationis, quae fit διὰ μιμή-

σεως, id est dramaticae imitationis (cf. hujus dissert. p. 35, 36), ea nostro quoque loco invenitur. Quum autem jam saepius viderimus, Aristotelem ex Platonis praescriptis ea, quae vera sibi viderentur, immutata recepisse, ne hic quidem dubitabimus, quin idem fecerit. Quod enim Plato nominat ἀφομοιοῦν αὑτὸν ἄλλῳ ἢ κατὰ φωνὴν ἢ κατὰ σχῆμα (rep. p. 393 C.), id Aristoteli est μιμεῖσθαι ὡς πράττοντα καὶ ἐνεργοῦντα. Uterque autem, et Plato et Aristoteles tragoediam non describunt, qualis tunc temporis docebatur, sed ex ejus origine et causis. Ut enim poesis epica oriebatur, quum quis aliquid memoria dignum narraret, ita dramatica, quum quis sua voce suoque gestu aliquem imitaretur. Eandem utriusque artis definitionem Goethius noster proposuit in epistola illa ad Schillerum Dcbr. 1797. data, quae de diversitate agit, quae est inter carmen epicum et dramaticum: „Wollte man das Detail der Gesetze, wonach beide zu handeln haben, aus der Natur des Menschen herleiten, so müsste man sich einen Rhapsoden und einen Mimen, beide als Dichter, jenen mit seinem ruhig horchenden, diesen mit seinem ungeduldig schauenden und hörenden Kreise umgeben immer vergegenwärtigen.“ Eum autem definitionis modum ab Aristotele ipso praecipi, nemo est, qui nesciat. (cf. Trendelenburg. el. log. § 59, 60). Ex reliquis, quae mihi innotuerunt, explicationibus, Bonitzii, quam in indice Aristotelico s. v. μιμεῖσθαι adumbravit, omni nomine placet, quod ad grammaticam verborum rationem attinet; et optimum sensum praebet, si ea verba, quibus dramatica poesis describitur, sola respicis. Legendum enim esse πάντα, et verba, quae sunt τοὺς μιμουμένους, passive esse intellegenda, ut hic sensus evadat: ita imitari posse poetam, quasi ii, quos imitetur, ipsi omnia agant et faciant. Quoniam autem

persuasum mihi habeo, Aristotelem hic Platonis sententiam respicere, eam explicationem praetuli, quae ex Platonis doctrina derivatur, qua dramaticae artis natura recte describitur, quae quam maxime Aristotelicas dividendi normas sequitur.

Jam restat, ut totam hanc quaestionem in unum comprehendamus. 1) Et primum quidem Plato totius artis poeticae notam id statuit, quod omne carmen narratio quaedam sit; quod si statuitur, fundamentum, quod in prioribus dialogis arti poeticae jam posuit, omnem poesin imitatione constare, deseritur, generisque nota ex latiore nota in multo artiorem comprehenditur. Multo aliter et melius Aristoteles dividit. Ille enim sibi constat et quod fundamentum doctrinae ab initio posuit, in eo etiamnum permanet. Bene enim intellexit, tantum abesse, ut omnis poesis narratio quaedam sit, ut narratione pars totius artis poeticae contineatur.

2. Quod igitur Plato imitationem nominat, id Aristoteli certum genus imitationis est; nam dramaticam imitationem tantum ita describit, ut Plato imitationem suam.

3. Quas Plato habet tres partes, eae ab Aristotele ad duas rediguntur; intellexit enim, non minus esse id carmen epicum, in quo poeta suam ipsius personam conservet, quam id, in quo aliam personam induat; has esse duas species unius generis, quod est narrativum (ἀπαγγελτικόν, διηγηματικόν). Huic narrativo generi dramaticum opponitur. Multum porro differre intellexit, utrum poeta epicus aliam personam induat, an poeta dramaticus; quae Platoni eadem esse videbantur. Statuit enim Plato (rep. p. 394), si ex carmine epico, quae intersint inter personarum diverbia, omiseris, perfectum drama te habiturum esse. Quae igitur Aristoteles saepissime inter se

opponit, ex quibus maximas utriusque carminis differentias deducit (c. XXIV): τὸ ἀπαγγέλλειν et τὸ δρᾶν, ea apud Platonem minime sunt discreta. Nihil aliud vero Aristotelis in tota arte poetica ita proprium est, quam eae diversitates, quae ex hac prima differentia sequuntur. Apparet autem etiam hic, Aristotelem Platonis doctrinam non neglegere; immo, quae ei vel nomina vel res vera videntur, ea immutata illum recipere, quae vero falsa, ea corrigere.

---

## Caput IV.

Jam fundamentis totius doctrinae positis, Aristoteles capite quarto ad singula tractanda transit. Ut autem in rei publicae libri primi capite altero rem publicam, qualis tunc temporis erat, ad origines redigit, ita nostro capite artem poeticam nascentem et crescentem oculis proponit. Similiter autem atque in re publica hic quoque reliqua ex hominum natura derivat. Duas enim causas a natura homini insitas artem poeticam genuisse: alteram, quod omnis homo, qua sit natura, ea ipsa imitetur; alteram naturalem quandam metrorum, numerorum, concentus esse indolem.

Et de priore quidem disserit p. 1448, b 4—20: Imitationis studium neque aliunde esse illatum, neque a quoquam inventum, sed omnes homines, quatenus homines sint, imitari, ideoque imitationibus gaudere. Eam naturalem imitandi indolem Plato nusquam commemorat, saepissime vero contendit, omnes imitationibus oblectari (cf. rep. III. p. 397 D.). Dum enim quaerit, qui artis poeticae modus a plerisque praeferatur, eum intellegit plebi jucun-

dissimum esse, qui quam maxime imitetur. Et in Sophista haec dicit p. 234 B: παιδιᾶς δὲ ἔχεις ἤ τι τεχνικώτερον ἢ καὶ χαριέστερον, ἢ τὸ μιμητικόν; et rep. X. p. 595 A. 607 A. poesis imitatoria et poesis dulcis (ἡδυσμένη) altera pro altera usurpatur. Tum Aristoteles ut ostendat, a natura imitationis studium homini insitum esse, id affert, quod homo, quae prima discat, ea imitatione discat p. 1448, b 8: καὶ τὰς μαθήσεις ποιεῖται (ὁ ἄνθρωπος) διὰ μιμήσεως τὰς πρώτας. Quod hic Aristoteles natura nostra fieri affirmat, Plato ut in liberis educandis fiat, poscit lgg. I. p. 643 B: λέγω δή, καί φημι τὸν ὁτιοῦν ἀγαθὸν ἄνδρα μέλλοντα ἔσεσθαι τοῦτο αὐτὸ ἐκ παίδων εὐθὺς μελετᾶν δεῖν παίζοντά τε καὶ σπουδάζοντα ἐν τοῖς τοῦ πράγματος ἑκάστοις προςήκουσιν. οἷον τὸν μέλλοντα ἀγαθὸν ἔσεσθαι γεωργὸν ἤ τινα οἰκοδόμον, τὸν μὲν οἰκοδομοῦντά τι τῶν παιδείων οἰκοδομημάτων παίζειν χρή, τὸν δ' αὖ γεωργοῦντα, καὶ ὄργανα ἑκατέρῳ σμικρά, τῶν ἀληθινῶν μιμήματα, παρασκευάζειν τὸν τρέφοντα αὐτῶν ἑκάτερον.

Deinde Aristoteles duas causas affert, quod imitationibus gaudeamus vel talium rerum, quales ipsas nemo libenter videat. Alteram, quod, dum videamus imitationes, aliquid discamus; neque enim philosophos solos discendo gaudere, sed in suis quemque finibus; cf. p. 1448, b 10—20: αἴτιον δὲ καὶ τοῦτο, ὅτι μανθάνειν οὐ μόνον τοῖς φιλοσόφοις ἥδιστον, ἀλλὰ καὶ τοῖς ἄλλοις ὁμοίως, ἀλλ' ἐπὶ βραχὺ κοινωνοῦσιν αὐτοῦ· διὰ γὰρ τοῦτο χαίρουσι τὰς εἰκόνας ὁρῶντες, ὅτι συμβαίνει θεωροῦντας μανθάνειν καὶ συλλογίζεσθαι τί ἕκαστον, οἷον ὅτι οὗτος ἐκεῖνος. Platonem quoque discendi gaudium nosse et putare philosophum maxime illo frui, exponere opus non est; etiam eos autem, qui philosophi non sint, voluptatem ex discendo capere, eodemque modo, quo apud Aristotelem, Plato in rep. l. V.

p. 475 C—E exponit. Socrati enim, qui interrogavit, quis philosophus sit et in medio posuit, eum esse philosophum, qui libenter discat omnisque doctrinae cupidus discendo nunquam satietur, Glaucon respondet, tum etiam eos philosophos futuros esse, qui libenter simulacra adscipiciant et cantu audito oblectentur ib. D: οἵ τε γὰρ φιλοθεάμονες πάντες ἔμοιγε δοκοῦσι τῷ καταμανθάνειν χαίροντες τοιοῦτοι εἶναι, οἵ τε φιλήκοοι . . οἳ ὥσπερ ἀπομεμισθωκότες τὰ ὦτα ἐπακοῦσαι πάντων χορῶν περιθέουσι τοῖς Διονυσίοις. — τούτους οὖν πάντας . . . . φιλοσόφους φήσομεν; cui Socrates respondet: οὐδαμῶς, ἀλλ' ὁμοίους μὲν φιλοσόφοις. Simulacra autem et poemata in republica saepissime imitationes vocantur; qui igitur imitationibus oblectentur, eos discendo gaudere et hoc quidem philosophis similes esse; itaque aliis verbis idem hic habes, quod Aristoteles dicit.

Alteram causam praeter discendi voluptatem Aristoteles deinde affert, quod etiamsi ignoremus, quid simulacrum aliquod significet, tamen delectemur vel pulchris coloribus vel artificioso et praeclaro opere. Distinguendum igitur esse inter voluptatem ex imitatione, quatenus imitatio sit, id est comparatione ejus rei, cujus simulacrum videamus, cum simulacro captam, et eam, qua alia de causa imbuamur. Cf. p. 1448, b 17–20: ἐπεὶ ἐὰν μὴ τύχῃ προεωρακώς, οὐχ ᾗ μίμημα ποιήσει τὴν ἡδονὴν, ἀλλὰ διὰ τὴν ἀπεργασίαν ἢ τὴν χροιὰν ἢ διὰ τοιαύτην τινὰ ἄλλην αἰτίαν. Quam distinctionem Platonicam esse, jam ostendi p. 15. Quod enim Plato lgg. p. 667 D. nominat τὴν ὀρθότητα τῆς μιμήσεως, Aristoteles appellat ἡδονὴν ᾗ μίμημα; et quod Platoni est χάρις παρεπομένη, id apud Aristotelem ἡδονὴ δι' ἄλλην τινὰ αἰτίαν vocatur; in qua similitudine noli neglegere imitationis apud utrumque diversam notionem.

Haec omnia de priore naturalium artis poeticae causarum exponebantur; jam sequitur altera p. 1448, b 20—22: κατὰ φύσιν δὴ ὄντος ἡμῖν τοῦ μιμεῖσθαι καὶ τῆς ἁρμονίας καὶ τοῦ ῥυθμοῦ (τὰ γὰρ μέτρα ὅτι μόρια τῶν ῥυθμῶν ἐστι φανερὸν) etc. Neque enim ad artem poeticam satis est procreandam, quod homo natura imitatur, qua indole non minus artes pictorum et sculptorum gignuntur; accedit igitur sensus quidam rhythmicus simulque metricus et harmonicus. Eadem sententia in Platonis libro de legibus secundo invenitur p. 653 D. E. 664 E. Omnia animalia moveri et voce uti aliqua; numeri vero et concentus sensum reliquis animalibus deesse, hominem eo praeditum et saltare et cantare. Cf. p. 664 E: εἴπομεν, εἰ μεμνήμεθα, κατ' ἀρχὰς τῶν λόγων, ὅτι ἡ φύσις ἁπάντων τῶν νέων διάπυρος οὖσα ἡσυχίαν οὐχ οἵα τε ἄγειν οὔτε κατὰ τὸ σῶμα οὔτε κατὰ τὴν φωνὴν εἴη, φθέγγοιτο δ' ἀεὶ ἀτάκτως καὶ πηδῷ· τάξεως δ' αἴσθησιν τούτων ἀμφοτέρων τῶν ἄλλων ζῴων οὐδὲν ἐφάπτοιτο, ἡ δὲ ἀνθρώπου φύσις ἔχοι μόνη τοῦτο. τῇ δὴ τῆς κινήσεως τάξει ῥυθμὸς ὄνομα εἴη, τῇ δ' αὖ τῆς φωνῆς, τοῦ τε ὀξέος ἅμα καὶ βαρέος συγκεραννυμένων, ἁρμονία ὄνομα προςαγορεύοιτο. Apparet igitur, eorum, quae Aristoteles in hac capitis parte exponit, elementa jam apud Platonem dispersa inveniri praeter id, quod naturali quadam indole hominem imitari Aristoteles de suo addidit; vel ex hoc autem summa judicii de artibus capiendi diversitas inter utrumque philosophum oritur.

Aristoteles deinde, quum in priore capitis parte exposuerit, quonam modo ars poetica omnino oreretur, in altera, qui factum sit, ut in diversa genera: carmen epicum et tragoediam, iambos et comoediam distraheretur, enarrat. In quo ut antea naturam ducem sequitur: quo enim quisque fuerit ingenio, ait, eo ad imitationem aut ho-

nestorum aut pravorum hominum eum esse ductum. p. 1448, b 25 ff: διεσπάσθη δὲ κατὰ τὰ οἰκεῖα ἤθη ἡ ποίησις· οἱ μὲν γὰρ σεμνότεροι τὰς καλὰς ἐμιμοῦντο πράξεις καὶ τὰς τῶν τοιούτων, οἱ δὲ εὐτελέστεροι τὰς τῶν φαύλων, πρῶτον ψόγους ποιοῦντες, ὥσπερ ἕτεροι ὕμνους καὶ ἐγκώμια. — Ut autem initio capitis secundi duo maxime genera hominum distinxit, quos imitatores imitentur, ita hic duo poesis genera distinguuntur: alterum pulchrarum actionum honestorumque hominum, alterum praviorum imitationem continens; haec etiam Plato discernit. Cf. Theaet. p. 152 E: τῶν ποιητῶν οἱ ἄκροι τῆς ποιήσεως ἑκατέρας, κωμῳδίας μὲν Ἐπίχαρμος, τραγῳδίας δὲ Ὅμηρος. et lgg. VII p. 810 E: λέγω μὴν, ὅτι ποιηταί τε ἡμῖν εἰσί τινες ἐπῶν ἑξαμέτρων πάμπολλοι καὶ τριμέτρων καὶ πάντων δὴ τῶν λεγομένων μέτρων, οἱ μὲν ἐπὶ σπουδὴν, οἱ δ' ἐπὶ γέλωτα ὡρμηκότες. Hic similiter atque apud Aristotelem pro diversa materia etiam carmina diversa habentur: τὸ σπουδαῖον tragoediae et carmini epico, τὸ γελοῖον comoediae convenit. Moribus autem et ingenio imitantium fieri ea ipsa genera, Plato in reipublicae libro tertio p. 396 C—E. 397 A, B. exponit. (cf. Bernays. Wirkung der Tragödie p. 152—153). p. 396 C enim haec leguntur: ὁ μέν μοι δοκεῖ μέτριος ἀνὴρ, ἐπειδὰν ἀφίκηται ἐν τῇ διηγήσει ἐπὶ λέξιν τινὰ ἢ πρᾶξιν ἀνδρὸς ἀγαθοῦ, ἐθελήσειν ὡς αὐτὸς ὢν ἐκεῖνος ἀπαγγέλλειν καὶ οὐκ αἰσχυνεῖσθαι ἐπὶ τῇ τοιαύτῃ μιμήσει, μάλιστα μὲν μιμούμενος τὸν ἀγαθὸν ἀσφαλῶς τε καὶ ἐμφρόνως πράττοντα, ἐλάττω δὲ καὶ ἧττον ἢ ὑπὸ νόσων ἢ ὑπὸ ἐρώτων ἐσφαλμένον ἢ καὶ ὑπὸ μέθης ἤ τινος ἄλλης συμφορᾶς. Quae verba Aristotelicorum sensum accuratissime referunt. Plato enim affirmat, virum honestum honestos imitari, ita tamen, ut libentissime eos repraesentet, si recte honesteque agant,

id quod Aristoteles nominat τὰς καλὰς πράξεις, — minus libenter, si vel morbis vel amore vel vino vincantur, — id quod Aristoteles dicit τὰς τῶν τοιούτων. Quin Aristotelis sententia Platonis verbis optime illustratur; quae quum Graefenhanius ignoraret, Aristotelem scripsisse putavit καὶ τὰς τῶν τοιούτων τύχας (edit. pag. 45 commentariorum), ne bis idem ille diceret. Jam Plato pergit rep. p. 397 A: ὁ μὴ τοιοῦτος αὖ, ὅσῳ ἂν φαυλότερος ᾖ, πάντα τε μᾶλλον μιμήσεται καὶ οὐδὲν αὑτοῦ ἀνάξιον οἰήσεται εἶναι. Pravissimum quemque viros honestos minime imitaturum esse, sed sui maxime similes. Quamvis autem ii, qui apud Aristotelem εὐτελέστεροι nominantur, a Platone φαυλότεροι appellentur, tamen res non mutatur. Uterque igitur pro certo habet, qua quis indole sit praeditus, ea ad diversa moveri repraesentanda. Quamquam enim apud Platonem de dramatica imitatione tantum agitur, tamen qua laxa notione illa Platoni est in omni poesis genere eam invenies (cf. hujus dissert. p. 35, 36.). Hic quoque vero ea diversitas rationis ac viae, qua uterque in sententiis proferendis utitur, apparet, quam jam aliquoties vidimus. Plato enim ex notione imitandi, quid vir honestus facturus sit, si quando in narratione quem imitari voluerit, concludit, Aristoteles ex eo, quod homini natura insitum esse intellegit, probabiliter disputans historiam artis poeticae sibi ipse componit. In sequentibus Aristoteles Homerum poetam maxime τῶν σπουδαίων fuisse ejusque carmina exemplum praebuisse dicit iis, qui postea tragoedias componerent (ὑπέδειξε τὰ σχήματα, ut magister litteras a se scriptas discipulo tradit, quae ille imitetur). Plato Homerum modo magistrum poetarum tragicorum, modo ipsum poetam tragicum nominat. Cf. rep. X. p. 595 B, C: ἔοικε μὲν γὰρ (Ὅμηρος) τῶν κα-

λῶν ἁπάντων τούτων τῶν τραγικῶν πρῶτος διδάσκαλός τε καὶ ἡγεμὼν γενέσθαι. Ibid. p. 605 C: ἀκροώμενοι Ὁμήρου ἢ ἄλλου τινὸς τῶν τραγῳδιοποιῶν etc. Talia autem ne a Platone quidem inventa esse, sed eo tempore communi quodam in usu fuisse, nemo est, qui nesciat; id Aristotelis proprium videtur esse, quod Homerum non solum tragoediae sed etiam comoediae formas posterioribus ostendisse affirmat. Quae deinde apud Aristotelem sequuntur historicae quaestiones, a Platonis ingenio plane alienae erant, quare de earum nulla unquam verba facit.

---

## CAPUT V.

Aristoteles in capitis quinti priore parte materiem comoediae artius, quam in secundo et quarto, definit et ex pravioribus, qui omnino, si comoedia cum tragoedia comparatur, comoediae assignantur, partem quandam elegit, quam τὸ γελοῖον nominat; quod quale sit exponit p. 1449, a 35: τὸ γὰρ γελοῖόν ἐστιν ἁμάρτημά τι καὶ αἶσχος ἀνώδυνον καὶ οὐ φθαρτικόν, οἷον εὐθὺς τὸ γελοῖον πρόσωπον αἰσχρόν τι καὶ διεστραμμένον ἄνευ ὀδύνης. Quodsi Aristotelis librum integrum haberemus, accuratiorem expositionem et divisionem ejus, quod est ridiculum, possessuros nos esse, ex Aristotelis ipsius verbis scimus. In rhetoricorum enim I. c. 11, pag. 1372, a 1 ad artis poeticae explicationem jam conscriptam provocat: διώρισται δὲ περὶ γελοίων ἐν τοῖς περὶ ποιητικῆς et ibid. III. c. 18, p. 1419, b 2: περὶ δὲ τῶν γελοίων . . . εἴρηται, πόσα εἴδη γελοίων ἐστὶν, ἐν τοῖς περὶ ποιητικῆς. Cujus explicationis tanquam

disjecta membra ex integris Aristotelis libris colligere conabor. Quaeritur autem, quid sit ἁμάρτημα καὶ αἶσχος, quid ἀνώδυνον καὶ οὐ φθαρτικόν. Verbum autem, quod est ἁμαρτάνειν, de eo usurpatur, qui aliquid petens id non assequitur, vel cui aliud quid contingit, atque quod petiit; ita eth. Nic. II. c. 5, p. 1106, b 28 verbis, quae sunt ἁμαρτάνειν et ἀποτυχεῖν τοῦ σκοποῦ idem significatur. Vario autem modo tale ἁμάρτημα committi potest; cf. eth. Nic. III. c. 10, p. 1115, b 17: γίγνεται δὲ τῶν ἁμαρτιῶν ἡ μὲν ὅτι οὐ δεῖ, ἡ δὲ ὅτι οὐχ ὡς δεῖ, ἡ δὲ οὐχ ὅτε, ἤ τι τῶν τοιούτων. Quicunque igitur aliquid facit, quod non licet facere, vel ita facit, ut non licet, vel eo tempore, quo non licet, is ἁμάρτημα committit. Saepissime igitur tales errores ex recti ignorantia oriuntur; cf. eth. Nic. V. c. 10, p. 1135, b 11: τριῶν δὴ οὐσῶν βλαβῶν τῶν ἐν ταῖς κοινωνίαις τὰ μὲν μετ' ἀγνοίας ἁμαρτήματά ἐστιν, ὅταν μήτε ὃν, μήτε ὅ, μήτε ᾧ, μήτε οὗ ἕνεκα ὑπέλαβε πράξῃ, quod exemplis illustratur: ἢ γὰρ οὐ βαλεῖν ἢ οὐ τούτῳ ἢ οὐ τοῦτον ἢ οὐ τούτου ἕνεκα ᾠήθη, ἀλλὰ συνέβη οὐχ οὗ ἕνεκα ᾠήθη, οἷον οὐχ ἵνα τρώσῃ, ἀλλ' ἵνα κεντήσῃ, ἢ οὐχ ὅν, ἢ οὐχ ὥς. Ita Oedipus, dum virum aliquem, quem plane alienum esse putaret, necat, re vera autem patrem occidit, ἁμάρτημα commitit; alium enim atque petivit percussit. Quod quoniam non pravitatis sed erroris est, non scelus sed ἁμάρτημα videtur, ita ut Oedipus tragoediae mirum quantum aptus sit. Cf. Poet. c. 13. pag. 1453, a 15, ubi Aristoteles exponit, ex rebus secundis in adversas mutationem non pravitate sed errore magno fieri oportere. Itaque τὸ ἁμάρτημα tragoediae non minus proprium est, quam comoediae, differunt autem eo, quod in tragoedia honesti viri idque magnum et perniciosum esse debet (Poet. c. 13: δι' ἁμαρτίαν

μεγάλην. c. 11 p. 1452, b 12: πρᾶξις φθαρτικὴ ἢ ὀδυνηρά), in comoedia vero hominum vilium, quod neque dolore neque pernicie quemquam afficiat (ἀνώδυνον καὶ οὐ φθαρτικόν). Qui igitur, ut exemplo utar, sapientem se ab aliis haberi velit, quum ipse stolidus sit, eamque ob causam laudem petitam non assequitur sed ludibria movet, ille errorem committit comoediae aptum. Eo magis autem ridiculus videbitur, quo diutius, quamquam irridetur, sapientiae doctrinaeque opinionem retinuerit. Quodsi quamquam denique irascatur, derisores non ulciscatur, ἁμάρτημα ejus non luctuosum sed ridiculum esse videbitur; sin autem eum, qui irrisit, occidat, tantum abest, ut ridiculus videatur, ut praeter stultitiae etiam immanitatis invidiam in se colligat. Itaque Thersites Homereus, qui laude Graecorum petita fuste donatur, ridiculus est, quod nemini nocet.

Quam ridiculi explicationem Aristotelicam esse optime apparebit, si quae Aristoteles ridicula nominat, ea talia esse demonstravero, qualia descripsi. In meteor. p. 357, a 24 haec leguntur: γελοῖον, καὶ εἴ τις εἰπὼν ἱδρῶτα τῆς γῆς εἶναι τὴν θάλασσαν, οἴεταί τι σαφὲς εἰρηκέναι, καθάπερ Ἐμπεδοκλῆς. πρὸς ποίησιν μὲν γὰρ οὕτως εἰπὼν ἴσως εἴρηκεν ἱκανῶς (ἡ γὰρ μεταφορὰ ποιητικόν), πρὸς δὲ τὸ γνῶναι τὴν φύσιν οὐχ ἱκανῶς. Empedoclem, Aristoteles ait, in animo habuisse, de natura maris clari aliquid proferre, obscuri vero quid protulisse; quod si nihilominus se clare locutum esse putet, ridiculum eum esse; ἁμάρτημα autem commisit, quod poeticam figuram in naturae descriptione usurpavit (ἁμαρτία, ὅτι οὐχ ὅτε. cf. huj. diss. p. 51). Simile quid in rhet. III. c. 3, p. 1406, a 17 ff. invenies: Alcidamantem in oratione pedestri epithetis uti non ut condimento, sed ut cibo vulgari. Talem autem sermonem

ridiculum videri. Cf. p. 1406, a 32: διὸ ποιητικῶς λέγοντες τῇ ἀπρεπείᾳ τὸ γελοῖον καὶ τὸ ψυχρὸν ἐμποιοῦσιν. Qui ita sermonem pedestrem instituant, eos errare (ἁμαρτία, ὅτι οὐχ ὡς δεῖ); quem errorem, quoniam periculosus non sit, ridiculum esse. Quae denique fragmenta expositionis de ridiculi notione Bernaysius Aristoteli ex anonymi, qui nominatur, de comoedia tractatu in mus. Rhen. VIII. p. 561 ff. restituit, in ea optime illa norma quadrat; ex quibus paragraphum eligam sextam, qua illud maxime probetur: ἤθη κωμῳδίας τά τε βωμολόχα καὶ τὰ εἰρωνικὰ καὶ τὰ τῶν ἀλαζόνων. Et primum quidem, quis sit βωμολόχος, Aristoteles in eth. Nic. IV. c. 14, p. 1128, a 4 et a 34 exponit: οἱ μὲν οὖν τῷ γελοίῳ ὑπερβάλλοντες βωμολόχοι δοκοῦσιν εἶναι καὶ φορτικοί, γλιχόμενοι πάντως τοῦ γελοίου, καὶ μᾶλλον στοχαζόμενοι τοῦ γέλωτα ποιῆσαι ἢ τοῦ λέγειν εὐσχήμονα καὶ μὴ λυπεῖν τὸν σκωπτόμενον. Id igitur scurra agit, ut auditores rideant; quod eo efficit, ut ipse alios illudat; maxime autem is illudit, qui ostendit, aliquem ἁμάρτημά τι committere; quod quidem in ejusdem tractatus § V. sic exprimitur: ὁ σκώπτων ἐλέγχειν θέλει ἁμαρτήματα τῆς ψυχῆς καὶ τοῦ σώματος. Auditores igitur aut eum deridebunt, quem scurra illuserit, aut si scurra minus scite egerit, scurram ipsum. Deinde facile apparet, in hominem, quem Graeci εἴρωνα vocant, illam formam cadere; qui quamquam ipse in errorem non incidit, tamen efficit, ut quocum loquatur, is committat errorem putetque se laudari, dum vituperatur. Quem denique ἀλαζόνα, id est hominem gloriosum appellet, in eth. Nic. IV. c. 13, p. 1127, a 21 Aristoteles exponit: δοκεῖ δὴ ὁ μὲν ἀλαζὼν προσποιητικὸς τῶν ἐνδόξων εἶναι καὶ μὴ ὑπαρχόντων καὶ μειζόνων, ἢ ὑπάρχει. Ejus errorem exponere opus non videtur esse. Qui omnes tum demum ridiculi aut ipsi erunt aut alios reddent, si neque ipsos,

neque alios tanto damno affecerint, ut tristitia audientium commoveatur. Quae modo adscripsi anonymi verba, Heizius in libro, qui inscribitur „die verlorenen Schriften des Aristoteles" p. 96. Aristoteli abjudicat: „In § 6 deuten die Worte: ἤθη κωμῳδίας τά τε βωμολόχα καὶ τὰ εἰρωνικὰ καὶ τὰ τῶν ἀλαζόνων offenbar auf eine Kenntniss der Komödie, wie sie Aristoteles noch nicht besitzen konnte." Nihilominus tamen Bernaysio adstipulatus sum, qui Aristotelem eas formas accepisse negat, immo comoediae praescripsisse affirmat. Quod cum ex ethicorum quae adscripsi verbis, tum ex rhetoricorum apparet. In rhet. enim III. c. 19, p. 1419, b 5 ff. haec leguntur: εἴρηται πόσα εἴδη γελοίων ἐστὶν ἐν τοῖς περὶ ποιητικῆς, ὧν τὸ μὲν ἁρμόττει ἐλευθέρῳ, τὸ δ' οὔ .... ἔστι δ' ἡ εἰρωνεία τῆς βωμολοχίας ἐλευθεριώτερον, ὁ μὲν γὰρ αὑτοῦ ἕνεκα ποιεῖ τὸ γελοῖον, ὁ δὲ βωμολόχος ἑτέρου. Aristoteles ipse igitur et scurram et hominem ironicum ridiculos esse affirmat, ridiculos autem homines comoediae esse aptos saepius in libro de arte poetica contendit; non minus autem eum hominis gloriosi naturam novisse, ex ethicorum verbis intellegitur.

Jam unum superest, quod exponam. Aristoteles enim ad sententiam demonstrandam persona comica utitur Poet. 1. 1: οἷον εὐθὺς τὸ γελοῖον πρόςωπον αἰσχρόν τι καὶ διεστραμμένον ἄνευ ὀδύνης. Quaeritur igitur, ubi hic illud ἁμάρτημα inveniatur, et quid sit τὸ αἶσχος. Ad eam difficultatem tollendam fragmentum Aristotelis inservit excerptum ex Jo. Philoponi in Aristotelis de anima libros commentariis (cf. ed. Acad. tom. V, p. 1482, a 12. frgm. 41): τῇ ἁρμονίᾳ, φησὶ, τοῦ σώματος ἐναντίον ἐστὶν ἡ ἀναρμοστία τοῦ σώματος. ἀναρμοστία δὲ τοῦ ἐμψύχου σώματος νόσος καὶ ἀσθένεια καὶ αἶσχος. ὧν τὸ μὲν ἀσυμμετρία ἐστὶ τῶν στοιχείων ἡ νόσος, τὸ δὲ τῶν ὁμοιομερῶν ἡ ἀσθένεια, τὸ δὲ τῶν

ὀργανικῶν τὸ αἶσχος. . . . ψυχὴ δὲ οὐδέν ἐστι τούτων, οὔτε ὑγίειά φημι, οὔτε ἰσχὺς, οὔτε κάλλος, ψυχὴν γὰρ εἶχε καὶ ὁ Θερσίτης αἴσχιστος ὤν. Habes igitur et notionem verbi, quod est αἶσχος, et exemplum ejus, qui αἰσχρὸς nominatur: αἶσχος enim est ἀσυμμετρία τῶν ὀργανικῶν; quae partes organicae quales sint, optime videas ex libro Aristotelis de partibus animalium; instrumenta autem homini omnes corporis partes sunt, quibus et ad vitam servandam et ad ea, quae animus jubet, impetranda utitur, ut omnes sensus, oculorum, aurium, narium etc., ut pedes, ut manus. Quarum si natura perfecta est, ordine quodam pulchro compositae inter se respondent; si minus, τέρατα oriuntur, quae quidem ἁμαρτήματα naturae videntur esse. Cf. phys. ausc. II, c. 8, p. 199, b 1 ff: εἰ δὴ ἔστιν ἔνια κατὰ τέχνην, ἐν οἷς τὸ ὀρθῶς ἕνεκά του, ἐν δὲ τοῖς ἁμαρτανομένοις ἕνεκα μέν τινος ἐπιχειρεῖται, ἀλλ' ἀποτυγχάνει, ὁμοίως ἂν ἔχοι καὶ τὰ τέρατα ἁμαρτήματα ἐκείνου τοῦ ἕνεκά του. Cujus rei Thersites Homereus optimum exemplum praebet; ridiculus enim videtur, antequam quidquam dixerit, neque tamen ipse, sed natura commisit errorem. Sin autem illa deformitas deformem doloribus afficit, non amplius ridicula sed miserabilis videtur. Suo jure igitur Aristoteles persona comica exemplo utitur; natura enim boni aliquid creare voluit, protulit aliquid pravi et perversi, ita tamen ut homo deformis dolore careat.

Ea autem ridicularum actionum ridiculorumque hominum definitio quasi ex fonte ex ridendi descriptione videtur manare, quam in probl. λε. 6, p. 965, a 11 invenies: διὰ τί αὐτὸς αὑτὸν οὐδεὶς γαργαλίζει; ἢ ὅτι καὶ ἧττον, ἐὰν προαίσθηται, μᾶλλον δ' ἂν μὴ ὁρᾷ; ὥσθ' ἥκιστα γαργαλισθήσεται, ὅταν μὴ λανθάνῃ τοῦτο πάσχων. ἔστι δ' ὁ γέ-

λως παρακοπή τις καὶ ἀπάτη. Is igitur tantum ridebit, qui aliquid vel viderit vel audierit, quod aliter eventurum esse expectaverat. Quare ea tantum ridicula videbuntur, quae de usu vitaque communi aliquantum deflexerint. Haec autem ἁμαρτήματα quomodo ab aliis erroribus differant, exposui.

Plato quid de ridiculi natura censeat, in Philebo exponit p. 48. C. ff: Σω. Ἔστι δὴ (τὸ γελοῖον) πονηρία μέν τις τὸ κεφάλαιον, ἕξεώς τινος ἐπίκλην λεγομένη· τῆς δ' αὖ πάσης πονηρίας ἐστὶ τοὐναντίον πάθος ἔχον ἢ τὸ λεγόμενον ὑπὸ τῶν ἐν Δελφοῖς γραμμάτων. Πρω. Τὸ γνῶθι σαυτὸν λέγεις, ὦ Σώκρατες. Σω. Ἔγωγε. τοὐναντίον μὴν ἐκείνῳ δῆλον ὅτι τὸ μηδαμῇ γιγνώσκειν αὑτὸν λεγόμενον ὑπὸ τοῦ γράμματος ἂν εἴη. Ridiculum igitur, si genus spectaveris, pravitas quaedam est, cujus proprium id dicitur esse, quod qui ridiculus videatur, is se ipsum non noverit. Deinde tria ridiculorum hominum genera enumerantur: qui majores divitias, qui majorem pulchritudinem, qui majorem virtutem sibi esse credant, quam habeant. Qui omnes in errorem incidunt; omnes enim dum laudem sectantur movent risum. Habes igitur id, quod Aristoteles ἁμάρτημα nominat; quod autem Plato dicit, ridiculum esse πονηρίαν τινὰ τὸ κεφάλαιον, ἕξεώς τινος ἐπίκλην λεγομένην, id ipsum Aristoteles verbis modo mutatis affirmat, quum dicit comoediam esse μίμησιν φαυλοτέρων μὲν, οὐ μέντοι κατὰ πᾶσαν κακίαν. Ridiculum enim, quod comoediae proprium sit, partem tantum esse turpitudinis. Itaque ex omni pravitate uterque philosophus partem quandam ad ridiculi naturam definiendam segregat, quae quidem errore continetur. Deinde Plato ibid. p. 49 B, C. eam notionem addit, qua comoediae errores a tragicis differunt: Σω. Ταύτῃ τοίνυν δίελε, καὶ ὅσοι μὲν αὐτῶν (τῶν γελοίων) εἰσι μετ' ἀσθενείας τοι-

οὗτοι καὶ ἀδύνατοι καταγελώμενοι τιμωρεῖσθαι, γελοίους τούτους φάσκων εἶναι, τἀληθῆ φθέγξει· τοὺς δὲ δυνατοὺς τιμωρεῖσθαι φοβεροὺς καὶ ἰσχυροὺς καὶ ἐχθροὺς προςαγορεύων ὀρθότατον τούτων λόγον σαυτῷ ἀποδώσεις. ἄνοια γὰρ ἡ μὲν τῶν ἰσχυρῶν ἐχθρά τε καὶ αἰσχρά. βλαβερὰ γὰρ καὶ τοῖς πέλας αὐτή τε καὶ ὅσαι εἰκόνες αὐτῆς εἰσιν. ἡ δ' ἀσθενὴς ἡμῖν τὴν τῶν γελοίων εἴληχε τάξιν τε καὶ φύσιν. Initia hic habes ejus notionis, quam Aristoteles nominat τὸ ἀνώδυνον καὶ οὐ φθαρτικόν.

Quam autem Plato ridiculi descriptionem proponit, ea quamvis ridiculi naturam omnino recte adumbret, tamen multo artior est, quam quae totam notionem circumcludat. Ex multitudine enim errorum (cf. hujus diss. p. 51) unus tantum eligitur, reliqui autem, qui non minus ridiculi sunt, omittuntur. Quos Aristoteles in artis poeticae deperdita parte accuratius exposuit. Deinde naturae error, quo fit ut quaedam corpora et figurae ridicula videantur, omnino a Platone neglegitur. Denique Plato eam diversitatem, quae inter errorem ridiculum et errorem miserabilem intercedit, multo artioribus finibus circumclusit; id enim solum respexit, num quis irrisores ulcisci posset necne; num quis ridiculus videatur, qui errore sive suo sive naturae aut doloribus affligatur aut in summa mala incidat, id in deliberationem nondum vocavit. Quae omnia Aristoteles excoluit et in fundamentis a Platone positis universalem et rerum et hominum ridicolorum doctrinam extruxit. Quod autem Plato deinceps exponit in Philebo, temperationem quandam doloris et voluptatis comoedia aspicienda in hominum animis exoriri, id suo jure Aristoteles neglexit.

## Caput VI.

In capite sexto Aristoteles expositione et de comoedia et de carmine epico promissa ad tragoediae naturam explicandam se confert et initio ex iis, quae jam enarraverit, tragoediae definitionem nunc quidem se derivare affirmat p. 1449, b 24: ἔστιν οὖν τραγῳδία μίμησις πράξεως σπουδαίας καὶ τελείας, μέγεθος ἐχούσης, ἡδυσμένῳ λόγῳ, χωρὶς ἑκάστου τῶν εἰδῶν ἐν τοῖς μορίοις, δρώντων καὶ οὐ δι' ἀπαγγελίας, δι' ἐλέου καὶ φόβου περαίνουσα τὴν τῶν τοιούτων παθημάτων κάθαρσιν.

Platoni quoque tragoediam imitationis quoddam genus idque hominum honestorum esse, jam exposui (p. 43, p. 48); perfectam eam actionem, quam imitetur et magnitudinis cujusdam esse oportere, id sensit (p. 75, 76); condimentorum orationis suo quodque loco adhiberi, facile erat ad intellegendum; restat, ut quos animi affectus quomodo tragoedia spectanda commoveri uterque contendat, explicem. Et primum quidem Plato ut Aristoteles misericordiam et metum tragoediis commoveri dicit; quod dum affirmat, eam profert sententiam, quae tum temporis fere omnium in ore videtur fuisse. In Phaedro enim Socrates aliquem facit venientem ad Sophoclem et Euripidem, qui putet, si miserabiles et terribiles orationes scribere potuerit, tragoediam facile se esse compositurum; quod si talia in hominem ex plebe conferuntur, apparet, ea re vera in omnium ore tum esse versata (cf. Bernays. Wirkung der Tragödie, p. 180). Leguntur enim haec in Phaedro p. 268 C. ff.: Σω. Τί δ' εἰ Σοφοκλεῖ αὖ προσελθὼν καὶ Εὐριπίδῃ τις λέγοι ὡς ἐπίσταται ῥήσεις ποιεῖν . . . . οἰκτρὰς καὶ τοὐναντίον αὖ φοβερὰς καὶ ἀπειλητικάς, ὅσα τ' ἄλλα τοιαῦτα, καὶ διδάσκων αὐτὰ τραγῳδίας ποίησιν οἴεται παραδιδόναι;

Φαι. Καὶ οὗτοι ἄν, ὦ Σώκρατες, οἶμαι, καταγελῷεν, εἴ τις οἴεται τραγῳδίαν ἄλλο τι εἶναι ἢ τὴν τούτων σύστασιν πρέπουσαν. Tragoedia igitur nominatur σύστασις πρέπουσα ῥήσεων οἰκτρῶν καὶ φοβερῶν. Verbum vero, quod est οἶκτος nihil aliud est, nisi vox efficacior ejusdem notionis atque verbum, quod est ἔλεος. Quodsi Jon pro genuino haberi posset, adscriberem nonnulla ex eo sumta, quibus ille animi status optime illustratur p. 535 C. ff. In rei publicae denique libro decimo p. 606 B. et alibi misericordiam nostram tragoediis spectandis maxime et commoveri et augeri Plato affirmat: θρέψαντα γὰρ ἐν ἐκείνοις (scil. τοῖς ἀλλοτρίοις πάθεσι) ἰσχυρὸν τὸ ἐλεεινὸν οὐ ῥᾴδιον ἐν τοῖς αὑτοῦ πάθεσι κατέχειν.

Quae autem sit illa misericordia, Aristoteles in libro de arte rhetorica secundo c. 8, p. 1385, b 13 ff. exponit: ἔστω δὴ ἔλεος λύπη τις ἐπὶ φαινομένῳ κακῷ φθαρτικῷ ἢ λυπηρῷ τοῦ ἀναξίου τυγχάνειν. Et Platonem quidem, quamquam misericordiae notionem in definitionis artos cancellos non inclusit, tamen optime ejus naturam perspexisse, ex Phaedonis initio apparet, ubi Phaedon, dum Echecrati narrat, quae ante Socratis mortem in carcere evenerint, describit, quid senserit, quo animo fuerit p. 58 E: καὶ μὴν ἔγωγε θαυμάσια ἔπαθον παραγενόμενος· οὔτε γὰρ ὡς θανάτῳ παρόντα με ἀνδρὸς ἐπιτηδείου ἔλεος εἰσῄει. et p. 59 A: διὰ δὴ ταῦτα οὐδὲν πάνυ μοι ἐλεεινὸν εἰσῄει, ὡς εἰκὸς ἂν δόξειεν εἶναι παρόντι πένθει. His verbis omnia dicuntur, quae Aristoteles ad misericordiam commovendam apta esse censet: alterum, ut non pravus, sed ingenuus honestusque vir mali aliquid patiatur, quod quidem non meruerit; alterum ut illa calamitas neque jam praeterierit, neque futura sit, sed ut praesens adsit.

Metus definitionem Aristoteles in eodem libro c. V, p. 1382, a 20 proponit: ἔστω δὴ φόβος λύπη τις ἢ ταραχὴ ἐκ φαντασίας μέλλοντος κακοῦ φθαρτικοῦ ἢ λυπηροῦ, quod Plato et in Lachete et in Protagora paene iisdem verbis dicit. Lach. p. 198 B: δέος ἐστὶ προσδοκία μέλλοντος κακοῦ. Prot. p. 358 D: προσδοκίαν τινὰ λέγω κακοῦ τοῦτο, εἴτε φόβον εἴτε δέος καλεῖτε. Apparet igitur, Platonis definitionem eandem esse atque Aristotelis, nisi quod hic, qua est subtilitate, quale illud malum esse debeat, addidit; id autem Aristotelis proprium est, quod utrumque animi affectum alterum cum altero artissimo vinculo conjunctos esse vidit; quae conjunctio quanti sit habenda, Lessingius satis explorate exposuit. Quum igitur viderimus, secundum Platonem et Aristotelem tragoediis spectandis et metum et misericordiam commoveri, jam restat, ut quaeramus, quomodo secundum eos his affectibus animi afficiantur, premantur an leventur, dolore an voluptate impleantur; quod quidem apud Platonem ex iis maxime intellegitur, quae tragoediae crimini vertit; id enim maxime vituperat, quod poetae tragici non id sibi proponant, ut homines meliores reddant, sed ut voluptatem iis quam maximam praebeant. Ita in Gorgia una cum arte culinaria tragoedia in earum artium numero habetur, quae hominibus adulentur, neglegant quid utile sit. Cf. p. 502 B, C: δῆλον, ὅτι πρὸς τὴν ἡδονὴν μᾶλλον ὥρμηται (ἡ τῶν τραγῳδιῶν ποίησις) καὶ τὸ χαρίζεσθαι τοῖς θεαταῖς. Et in rep. X. p. 607 A. tragoedia summum locum tenet ejus poesis, quae vocatur ἡδυσμένη. In quo id mirum videtur, qui fieri possit, ut et metus et misericordia, quae per se dolorum genera sunt, animos voluptate impleant. Dolores enim in Philebo nominantur p. 47 E. ff: ὀργὴν καὶ φόβον καὶ πόθον καὶ θρῆνον καὶ ἔρωτα καὶ ζῆ-

λον καὶ φθόνον, καὶ ὅσα τοιαῦτα, ἆρ' οὐκ αὐτῆς τῆς ψυχῆς τίθεσαι ταύτας λύπας τινάς; Ἔγωγε. Quae omnia nihilominus voluptate quam maxima homines implere, idem affirmat ibid.: οὐκοῦν αὐτὰς ἡδονῶν μεστὰς εὑρήσομεν ἀμηχάνων; Ejus voluptatis optimum exemplum spectacula tragica afferuntur p. 48 A: καὶ μὴν καὶ τάς γε τραγικὰς θεωρήσεις, ὅταν ἅμα χαίροντες κλάωσι, μέμνησαι; et p. 50 B: μηνύει δὴ νῦν ὁ λόγος ἡμῖν ἐν θρήνοις τε καὶ ἐν τραγῳδίαις, μὴ τοῖς δράμασι μόνον, ἀλλὰ τῇ τοῦ βίου ξυμπάσῃ τραγῳδίᾳ καὶ κωμῳδίᾳ λύπας ἡδοναῖς ἅμα κεράννυσθαι. Et comoedia quidem quomodo illa temperatio voluptatis atque doloris perficiatur, Plato quum exposuerit, reliquas etiam faciliores esse ad intelligendum affirmat ibid. p. 50 D. In eodem Philebo autem p. 31 D. origines et doloris et voluptatis describuntur: Σω. Λέγω τοίνυν τῆς ἁρμονίας μὲν λυομένης ἡμῖν ἐν τοῖς ζῴοις ἅμα λύσιν τῆς φύσεως καὶ γένεσιν ἀλγηδόνων ἐν τῷ τότε γίγνεσθαι χρόνῳ. Πρω. Πάνυ λέγεις εἰκός. Σω. Πάλιν δὲ ἁρμοττομένης τε καὶ εἰς τὴν αὑτῆς φύσιν ἀπιούσης ἡδονὴν γίγνεσθαι λεκτέον. Ubicunque igitur naturalis quidam concentus solvitur, dolores evadunt, ubi restituitur, voluptas oritur quod famis sitisque statim exemplis illustratur: fame enim sitique expellendis concentus stomachi, qui solutus erat, iterum restituitur. In iis igitur et corporis et animi cupiditatibus, quae ex naturali quadam indole oriuntur, explendis, illa doloris voluptatisque temperatio apparet, cujus etiam tragica voluptas particeps est; quare si misericordia (θρῆνος) et metu (φόβος) sollicitatis et dolore et voluptate, eaque haud parva animos impleri contendebatur (Phil. p. 47 E, 48 A), concentum quendam et solvi et restitui necesse est. Hoc Plato in rei publicae libro decimo exponit, quamquam hic qui-

dem illis verbis, quae erant ἁρμονία λυομένη et πάλιν ἁρμοττομένη non utitur. Ibi enim inde a p. 604 ff. hunc fere in modum verba facit: In omnium hominum animis duas inesse partes, quarum altera alteram semper expellere studeat, sapientiam et constantiam (τὸ φρόνιμον); immoderationem et stultitiam (τὸ ἀγανακτητικόν); ex quibus constantiam longe esse meliorem, quippe quae in rebus adversis hominem consoletur; deterrimam esse illam immoderationem; homines autem, qua sint natura, magis ad intemperantiam inclinare (τὸ θρηνῶδες p. 606 A. τὸ ἐλεεινὸν ib. B), quam ad constantiam et animi fortitudinem; cf. p. 606 A: εἰ ἐνθυμοῖο, ὅτι τὸ βίᾳ κατεχόμενον τότε ἐν ταῖς οἰκείαις συμφοραῖς καὶ πεπεινηκὸς τοῦ δακρῦσαί τε καὶ ἀποδύρασθαι ἱκανῶς καὶ ἀποπλησθῆναι, φύσει ὂν τοιοῦτον οἷον τούτων ἐπιθυμεῖν etc. Quorum verborum illud, quod est πεπεινηκὸς, respicias quaeso, quo eodem Plato in Philebo ad concentum solutum illustrandum utebatur (Phileb. p. 31 E: πείνη μέν που λύσις καὶ λύπη). Ea autem lamentandi cupiditas dum expletur, concentus animi eodemmodo restituitur, quo stomachi esurientis, cui cibus praebetur; quam comparationem Plato retinet, cum p. 606 A ita pergit (εἰ ἐνθυμοῖο, ὅτι τὸ πεπεινηκὸς τοῦτο τοῦ δακρῦσαι etc.) τότ' ἔστι τοῦτο τὸ ὑπὸ τῶν ποιητῶν πιμπλάμενον καὶ χαῖρον. Et hanc quidem voluptatis originem saepius Plato describit. Cf. rep. IX. p. 585 D: εἰ ἄρα τὸ πληροῦσθαι τῶν φύσει προσηκόντων ἡδύ ἐστιν etc. Tim. 81 D: πᾶν γὰρ τὸ μὲν παρὰ φύσιν ἀλγεινόν, τὸ δ' ᾗ πέφυκε γιγνόμενον ἡδύ. Quamquam igitur in tragoedia spectanda dolore aliquo afficiamur, dum viros fortes rebus adversis afflictos videmus, quamquam eo ipso quasi famem quandam lugendi, eamque ingratam sentimus, tamen, quoniam natura nostra ad misericordiam ejus-

que filias, ut ita dicam, ad lacrimas inclinamus, eo ipso tempore, dum luctui lacrimisque indulgemus, multo majore voluptate quam dolore animi implentur. Quod ex eo intellegi potest, quod optimus poeta ille ab optimo quoque nominatur, qui ita auditores afficiat, ut qui dolores, quae lamentationes in scena producantur, ea ita sentiantur, ac si ipsorum dolores sint. Cf. rep. X. p. 605 D: οἱ γάρ που βέλτιστοι ἡμῶν ἀκροώμενοι Ὁμήρου ἢ ἄλλου τινὸς τῶν τραγῳδιοποιῶν μιμουμένου τινὰ τῶν ἡρώων ἐν πένθει ὄντα καὶ μακρὰν ῥῆσιν ἀποτείνοντα ἐν τοῖς ὀδυρμοῖς, ἢ καὶ ᾄδοντάς τε καὶ κοπτομένους, οἶσθ' ὅτι χαίρομέν τε καὶ ἐνδόντες ἡμᾶς αὐτοὺς ἑπόμεθα ξυμπάσχοντες καὶ σπουδάζοντες ἐπαινοῦμεν ὡς ἀγαθὸν ποιητήν, ὃς ἂν ἡμᾶς ὅτι μάλιστα οὕτω διαθῇ. Quin eo procedit, ut contendat, etiamsi tota fabula minimi aestimetur, tamen, dummodo misericordiam fletumque satis moveat, libenter eam auditum iri ibid. p. 606 B: ἐκεῖνο κερδαίνειν ἡγεῖται, τὴν ἡδονήν, καὶ οὐκ ἂν δέξαιτο αὐτῆς στερηθῆναι, καταφρονήσας ὅλου τοῦ ποιήματος. Quibus verbis Plato, quam voluptatem modo ex hominis natura derivaverat, eam re vera tragoediis spectandis in spectatorum animis conciliari ex ipsorum judiciis ostendit. Tantum igitur abesse, ut tragoedia, quamvis tristes heroum casus imitetur, spectatorum animos angore et luctu opprimat, ut quo lacrimosior sit, eo majorem iis voluptatem praebeat.

Jam videamus, quid Aristoteles censeat. Qui quidem in libro de arte poetica aliquoties oblectationem commemorat, qua tragoedia audienda impleamur; oblectari enim animum et imitatione recta (c. 4), et fabula bene composita (c. 23. p. 1459, a 21), et rebus admiratione dignis (c. 24. p. 1460, a 18); quae omnia tragoediae et cum comoedia et cum carmine epico communia esse

apparet; propriam autem tragoediae eam esse voluptatem, quae misericordia et metu sollicitatis percipiatur. Cf. c. 14. p. 1453, b 11 ff.: οὐ πᾶσαν δεῖ ζητεῖν ἡδονὴν ἀπὸ τραγῳδίας, ἀλλὰ τὴν οἰκείαν· ἐπεὶ δὲ τὴν ἀπὸ ἐλέου καὶ φόβου διὰ μιμήσεως δεῖ ἡδονὴν παρασκευάζειν τὸν ποιητὴν etc. Et quod Plato dicit, eum optimum tragoediarum poetam haberi, qui quam maxime misericordiam spectatorum commoveat, etiamsi alioquin poema ejus minus laudabile videatur, Aristoteles idem affirmat, nisi quod Plato universaliter de quolibet poeta loquitur, Aristoteles certum quoddam exemplum affert; Euripidem enim, ait, eum esse poetam, qui quod tragoediae, quatenus sit tragoedia, i. e. miserabilium luctuosarumque actionum imitatio, propositum sit, maxime efficiat; misericordia enim metuque tristi fabularum exitu incitandis voluptatem maxime tragicam illum praebere, etiamsi reliqua (quatenus tragoedia imitatio, eaque honestorum hominum, quatenus una sit, quatenus chorus actoris partes agere debeat) minus recte componat c. 13. p. 1453, a 24—31: διὸ καὶ οἱ Εὐριπίδῃ ἐγκαλοῦντες . . . ἁμαρτάνουσιν, ὅτι τοῦτο δρᾷ ἐν ταῖς τραγῳδίαις (quod tristes earum exitus componat), καὶ πολλαὶ αὐτοῦ εἰς δυστυχίαν τελευτῶσιν. τοῦτο γάρ ἐστιν, ὥσπερ εἴρηται, ὀρθόν. σημεῖον δὲ μέγιστον· ἐπὶ γὰρ τῶν σκηνῶν καὶ τῶν ἀγώνων τραγικώταται αἱ τοιαῦται φαίνονται, ἂν κατορθωθῶσιν καὶ ὁ Εὐριπίδης, εἰ καὶ τὰ ἄλλα μὴ εὖ οἰκονομεῖ, ἀλλὰ τραγικώτατός γε τῶν ποιητῶν φαίνεται.

Jam eadem quaestio atque apud Platonem, apud Aristotelem est solvenda; quomodo ei misericordia et metus, qui affectus per se animos minime oblectant, voluptatem quandam praebeant. Et oblectationem quidem omnem saepius ait Aristoteles in hominum animis conciliari, si iis, ad quod natura inclinant, offeratur, vel si ex natu-

rali statu ejecti, iterum ad illum reducantur; cf. rhet. I. c. 11, p. 1369, b 33 ff: ὑποκείσθω δ' ἡμῖν εἶναι τὴν ἡδονὴν κίνησίν τινα τῆς ψυχῆς καὶ κατάστασιν ἀθρόαν καὶ αἰσθητὴν εἰς τὴν ὑπάρχουσαν φύσιν, λύπην δὲ τοὐναντίον. εἰ δ' ἐστὶν ἡδονὴ τὸ τοιοῦτον, δῆλον ὅτι καὶ ἡδύ ἐστι τὸ ποιητικὸν τῆς εἰρημένης διαθέσεως, τὸ δὲ φθαρτικὸν ἢ τῆς ἐναντίας καταστάσεως ποιητικὸν λυπηρόν. Itaque alios pro varia indole aliis rebus delectari; cf. eth. Nic. VII. c. 14, p. 1153, b 29: ἀλλ' ἐπεὶ οὐχ ἡ αὐτὴ φύσις οὔθ' ἕξις ἡ ἀρίστη οὔτ' ἔστιν οὔτε δοκεῖ, οὐδ' ἡδονὴν διώκουσι τὴν αὐτὴν πάντες. Quod si quam tragoediam spectemus, nos omnes nobis pari molestia affici videri, atque in scena videamus, polit. V. c. 5, p. 1340, a 12: ἔτι δὲ ἀκροώμενοι τῶν μιμήσεων γίγνονται πάντες συμπαθεῖς, id est, qui dolores, quae miseriae in scena producuntur, ea ita sentimus, ac si nostri ipsorum sint; et quos casus heroi alicui impendere credimus, eos quasi nobis ipsis minitantes timemus; ex quo sequitur, ut misericordia illius metuque nostri impleamur. Jam apparet, metu misericordiaque sollicitatis naturalem animi statum mutari; quae mutatio primum quidem dolore aliquo nos afficit, neque quidquam ille voluptatis habebit, qui illos affectus retinere et opprimere studuerit, sed taedii stomachique quodam sensu implebitur. Eum animi statum Aristoteles in ira retinenda describit; eth. Nic. IV. c. 11, p. 1126, a 20 ff: οἱ δὲ πικροὶ δυσδιάλυτοι καὶ πολὺν χρόνον ὀργίζονται· κατέχουσι γὰρ τὸν θυμόν. παῦλα δὲ γίγνεται, ὅταν ἀνταποδιδῷ· ἡ γὰρ τιμωρία παύει τῆς ὀργῆς, ἡδονὴν ἀντὶ τῆς λύπης ἐμποιοῦσα. τούτου δὲ μὴ γιγνομένου τὸ βάρος ἔχουσιν· . . . ἐν αὑτῷ δὲ πέψαι τὴν ὀργὴν χρόνου δεῖ. εἰσὶ δ' οἱ τοιοῦτοι ἑαυτοῖς ὀχληρότατοι καὶ τοῖς μάλιστα φίλοις. Sin autem animo habenae, ut ita dicam, immittuntur, affectuumque quae

retinebatur multitudo, solvitur, tum quo onere illi animum praegravabant, id minuitur, sensimque animus in priorem statum revertitur. Qui modus levandi animi ex corporis similitudine ab Aristotele depromptus est; in problem. δ. 30. p. 880, a 30 enim talem corporis levationem describit: διὰ τί ἀφροδισιαστικοὶ οἱ μελαγχολικοί; ἢ ὅτι πνευματώδεις, τὸ δὲ σπέρμα πνεύματος ἔξοδός ἐστιν; οἷς οὖν πολὺ τὸ τοιοῦτον, ἀνάγκη πολλάκις ἐπιθυμεῖν τούτους ἀποκαθαίρεσθαι· κουφίζονται γάρ. Qui igitur, quod corpus gravabat, non retinent, sed ejiciunt, ii levantur. Similem autem levationem animi hominibus contingere in tragoediis audiendis rei publicae notissimis illis verbis affirmat Aristoteles, quae Bernaysius unus recte exposuit. rep. V. c. 7, p. 1342, a 10 ff: ταὐτὸ δὴ τοῦτο ἀναγκαῖον πάσχειν (scil. καθίστασθαι ὥσπερ ἰατρείας τυχόντας καὶ καθάρσεως) καὶ τοὺς ἐλεήμονας καὶ τοὺς φοβητικοὺς καὶ τοὺς ὅλως παθητικούς, τοὺς δ' ἄλλους καθ' ὅσον ἐπιβάλλει τῶν τοιούτων ἑκάστῳ, καὶ πᾶσι γίγνεσθαί τινα κάθαρσιν καὶ κουφίζεσθαι μεθ' ἡδονῆς. Habes hic eadem verba, quibus ad corporis levationem explicandam Aristoteles utebatur: κάθαρσιν et κουφίζεσθαι. Dum igitur tragoedia spectanda misericordia et metus sollicitantur, voluptas ei oritur, qui eos affectus non opprimit, sed habenas iis immittit; qui quum ita defervescant, naturalis status, turbatus illa sympathia, sensim restituitur; quo quis igitur magis natura ad misericordiam et timorem inclinat, eo majorem ex tragoedia spectanda voluptatem percipiet, quo quis constantior et durior est, eo minorem; omnibus autem certe aliquantulum voluptatis tragicae continget. Omnes enim homines, quatenus homines sunt, misericordiae metuique sunt obnoxii; cf. rep. V. c. 7, p. 1342, a 5 ff: ὃ γὰρ περὶ ἐνίας συμβαίνει πάθος ψυχὰς ἰσχυρῶς, τοῦτο ἐν πάσαις ὑπάρχει, τῷ δὲ ἧττον διαφέρει καὶ τῷ μᾶλλον, οἷον ἔλεος

καὶ φόβος. Apparet autem, id voluptatis genus initium capere, ubi primum aliquid in tragoedia spectanda timere coeperimus, unde per totam fabulam animum oblectat, nisi forte quem virum interiturum esse putabamus, is in fabula exeunte servatur; eamque ob causam Aristoteles Euripidem eum esse affirmat, qui voluptatem maxime tragicam spectatoribus praebeat; illam autem fabulam, in qua meliores viri serventur, intereant praviores, a comoedia propius abesse, quam a tragoedia contendit in Poet. c. 13, p. 1453, a 31 ff.

Falso igitur Ueberwegius definitionis finem ita vertit (in versione Germanica artis poeticae p. 9): Die Tragödie ist die nachbildende Darstellung etc., welche durch Erregung von Mitleid und Furcht die (zeitweilige) Befreiung von derartigen Gefühlen zum Enderfolge hat. Neque enim voluptas tragica in eo est, ut liberi simus a misericordia metuque, sed ut liberemur, dum lacrimis et horrori non temperamus, neque tragoedia spectata, sed spectanda oblectamur; omnino autem caveamus oportet, ne cum Doeringio (philologus tom. XXI. p. 496—534) Ueberwegio, Reinkensio (Aristoteles über Kunst, besonders über Tragödie. Wien 1870) medicinalem verbi, quod est κάθαρσις significationem ultra, quam licet, in tragica voluptate explicanda extendamus. Illi enim contendunt, ut purgatione corporis morbi quidam expellantur, ita misericordiam et metum pro morbis animi esse habendos; et ut medicina corpori applicata ea, quae molesta erant, ejiciantur ex corpore, ita misericordiam et metum ex animo expelli. Neglexisse illi videntur, Aristotelem metaphora uti et dicere: ὥσπερ καθάρσεως καὶ ἰατρείας et γίνεσθαί τινα κάθαρσιν (rep. l. l.) ipsumque significasse, quid tandem tertium, quod nominatur, ejus comparationis

esse vellet, cum apponeret haec: καὶ κουφίζεσθαι μεθ' ἡδονῆς, quod quid sit, jam exposui; nullo autem modo fieri potest, ut re vera misericordia et metus ex animis ita ejiciantur, ut excrementa ex corporibus; qua re commotus Ueberwegius prudenter versioni verbum inseruit, quod est „zeitweilig", cujus apud Aristotelem ne umbra quidem invenitur. Quod si et hanc metaphoram et quamlibet aliam quasi prelo exprimere voluerimus, res sane ridiculas facile videbimus; tum enim tragoedia purgamentum erit animi, et ars poetica experientia quaedam purgamentorum recte componendorum. Qui error ex eo videtur ortus esse, quod et Doeringius et Reinkensius Aristotelem Hippocratis libros evolvisse et secundum illum omnes gradus purgationis medicinalis etiam in tragica statuisse putant; quod demonstrari omnino neque potest neque ullam probabilitatis speciem habet. Jam Platoni enim illa dicendi ratio, qua corporis purgatio metaphorice usurpatur, usitata erat, eamque Aristoteles hic in suum usum convertit. cf. Pl. Soph. p. 226 D. 227 C. δύο εἴδη καθάρσεως· ἓν περὶ τὴν ψυχὴν εἶδος, τοῦ περὶ τὸ σῶμα χωρὶς ὄν. rep. VIII, p. 567 C: καθαρμὸν . . ναὶ, ἦν δ' ἐγὼ, τὸν ἐναντίον, ἢ οἱ ἰατροὶ τὰ σώματα (καθαίρουσιν) etc.

Restat igitur, ut Bernaysii definitionis nostrae versionem adscribam, ex qua recentiorum maxima pars derivata est; ea in libelli, cujus saepius jam mentionem feci, p. 148 legitur: „Die Tragödie bewirkt durch (Erregung von) Mitleid und Furcht die erleichternde Entladung solcher (mitleidigen und furchtsamen) Gemüthsaffectionen." Cui adhuc nemo quidquam neque apposuit neque dempsit, nisi quod H. Bonitzius in studiorum Aristotelicorum parte V. eam diversitatem, quam Bernaysius inter verba, quae sunt πάθημα et πάθος, statuit, ut πάθος sit affectus

ipse, πάθημα affectio sive animi quaedam facultas et indoles affectuum commovendorum, ab Aristotele non esse constitutam demonstravit. Ne tamen acta egisse videar, dum haec de affectuum purgatione fusius expono: paulo alia via usus atque Bernaysius ad eundem finem perveni.

Jam reliquum est, ut Platonis et Aristotelis expositiones inter se comparemus: uterque statuit, tragoedia spectanda propriam quandam oblectationem in animis spectatorum conciliari, eamque misericordia metuque sollicitatis; qui affectus quum per se voluptatem non praebeant, quaeritur quomodo illa oriatur. Voluptas autem omnino oritur, si, qui naturalis status (harmonia naturalis Platonis) qualibet re sublatus est, is redintegratur. Jam in tragoedia spectanda, dum dolores heroum ita sentimus, ac si nostri sint, dum caeco quodam timore nostri implemur videntes virum similem nobis inscium in perniciosum errorem incidentem, naturalis animi status tollitur, misericordia et metus incitantur; qui affectus si oppressi erunt, animus in molestia quadam versabitur (Plato rep. X. p. 606 A.: τὸ βίᾳ κατεχόμενον. Ar. eth. Nic. IV. c. 11) Eam animi conditionem et Plato et Aristoteles corporis quadam similitudine illustrant, et Plato quidem famis, quae cibum postulet, quo satietur (Phileb. p. 31 E. rep. 606 A.), Aristoteles corporis qualibet re gravati, quod levari cupiat, similiterque in carminibus Homericis his verbis significatur (Il. Ψ. 108): ὣς φατο, τοῖσι δὲ πᾶσιν ὑφ' ἵμερον ὦρσε γόοιο. Utraque autem similitudine concentus quidam solutus describitur, qui restituitur, si misericordiae et metui habenae mittuntur. Quoniam autem omnes homines, alius alio magis illis affectibus sunt obnoxii, omnibus voluptas in tragoedia spectanda praebetur; id voluptatis genus descripsisse Plato satis habet, novo

eoque aptissimo nomine signat Aristoteles. Aristoteles igitur in tragica voluptate explicanda novi non multum attulit, nisi quod, quam arto vinculo misericordia et metus inter se conjungantur, primus perspexit et quod ea similitudine, quam a levando corpore ad defervescentes animi affectus transposuit, multo accuratius oblectationis illius modus describitur.

Ex eadem autem re utrique plane diversa consequuntur. Plato enim tragoediam, quoniam debiliorem animi partem augeat, quum minuere debeat, ex re publica expellendam esse censet; cf. rep. p. 606 A. C: τρέφει γὰρ ταῦτα ἄρδουσα, δέον αὐχμεῖν. Aristoteles autem misericordia metuque tragoedia sollicitandis voluptatem innoxiam praeberi hominibus affirmat; rep. V. c. 7, p. 1342, a 15: ὁμοίως δὲ καὶ τὰ μέλη τὰ καθαρτικὰ παρέχει χαρὰν ἀβλαβῆ τοῖς ἀνθρώποις. Quin eo procedit, ut animum tali sollicitatione levatum facilius ad meliora duci posse contendat. Quae quamquam in iis libris, qui ad nostram aetatem duraverunt, fusius non exponuntur, exposuisse tamen ea Aristotelem Proclus nos docet iis verbis, quorum mentionem jam feci (p. 2): τὸ δὲ δεύτερον (τοῦτο δ' ἦν, τὸ τὴν τραγῳδίαν ἐκβάλλειν καὶ κωμῳδίαν ἀτόπως, εἴπερ διὰ τούτων δυνατὸν ἐμμέτρως ἐμπιμπλάναι τὰ πάθη, καὶ ἀποπλήσαντας ἐνεργὰ πρὸς τὴν παιδείαν ἔχειν, τὸ πεπονηκὸς αὐτῶν θεραπεύσαντας) τοῦτο δ' οὖν πολλὴν καὶ τῷ Ἀριστοτέλει παρασχὸν αἰτιάσεως ἀφορμὴν etc. Apparet igitur, Aristotelem non Platonis de tragica voluptate expositionem, sed ea impugnavisse, quae ille inde concluserat, iisdem verbis usum, quibus Plato erat usus. Id ipsum enim, quod naturale animi desiderium impleatur (πιμπλάναι, cf. Pl. rep. X. p. 606 A.: τὸ πεπεινηκὸς ἀποπλησθῆναι, τότ' ἐστὶ τοῦτο τὸ ὑπὸ τῶν ποιητῶν πιμπλάμενον), non solum animo

nihil noxae afferre, sed etiam, id quod Plato postulat, ad animos excolendos inservire. Plato ipse rep. III. p. 401 exposuerat, artis verae opera quemque locum oculis et auribus animi ita salubrem reddere ut auram puram corporis. Ita enim sensim sine sensu animos similitudine quadam pulchritudinis imbui; id autem rep. X. rejecit. Simulatque enim illam imitationis notionem, quam exposui, explicavit, et animum ex similitudine et specie rerum quidquam utilitatis haurire posse negavit, non potuit quin omnia poemata a juvenibus removeret; Aristoteles igitur nihil aliud fecit, nisi quod priorem illam Platonis sententiam restituit et ex iisdem lapidibus, quos Plato, quamquam non ignorabat, magis disjiciebat, quam coagmentabat, tragoediae firmissimam aedem extruxit. Ex misericordiae enim et metus notionibus, quas jam Plato bene senserat, certas normas derivavit, qualis ille esse debeat, cujus miserias tragoedia oculis spectatorum propositura sit; et quod saepius dicit, in qualibet re non cujuslibet hominis, sed viri honesti judicium esse normam atque metrum (eth. Nic. X. c. 6, p. 1176, b 24: καθάπερ οὖν πολλάκις εἴρηται, καὶ τίμια καὶ ἡδέα ἐστὶ τὰ τῷ σπουδαίῳ τοιαῦτα ὄντα), ita etiam in homine, qui tragoediae aptus sit, describendo, illius judicio quasi metro utitur Poet. c. 13 et 14. Jam haud difficile est intellegere, quomodo ejusmodi tragoediis animi spectatorum ad meliora ducantur. Homines enim boni fiunt naturali indole, consuetudine, disciplina; quum natura raro boni sint, disciplinae haud libenter oboediant, optimam ducem esse assuetudinem (eth. Nic. X. c. 10, p. 1179, b 20 ff.); virtutem autem ipsam in eo esse, ut recte gaudeamus, recte doleamus; qui enim gaudeat, si malo homini res bene cesserint, eum ipsum esse malum; qui doleat, si vir

honestus in miseriis versetur, eum demonstrare se ipsum esse honestum; cf. rep. V. c. 5 p. 1340, a 14 ff: ἐπεὶ συμβέβηκε τὴν ἀρετὴν περὶ τὸ χαίρειν ὀρθῶς καὶ φιλεῖν καὶ μισεῖν (εἶναι), δεῖ δῆλον ὅτι μανθάνειν καὶ συνεθίζεσθαι μηδὲν οὕτως ὡς τὸ κρίνειν ὀρθῶς καὶ τὸ χαίρειν τοῖς ἐπιεικέσιν ἤθεσι καὶ ταῖς καλαῖς πράξεσιν. Eth. Nic. VII, c. 12 p. 1152, b 4 ff: τήν τε γὰρ ἀρετὴν καὶ τὴν κακίαν τὴν ἠθικὴν περὶ λύπας καὶ ἡδονὰς ἔθεμεν. Hoc exemplo illustratur rhet. II. c. 9, p. 1386, b 25—32: ὁ μὲν γὰρ λυπούμενος ἐπὶ τοῖς ἀναξίως κακοπραγοῦσιν ἡσθήσεται ἢ ἄλυπος ἔσται ἐπὶ τοῖς ἐναντίως κακοπραγοῦσιν· οἷον τοὺς πατραλοίας καὶ μιαιφόνους, ὅταν τύχωσι τιμωρίας, οὐδεὶς ἂν λυπηθείη χρηστός· δεῖ γὰρ χαίρειν ἐπὶ τοῖς τοιούτοις, ὡς δ' αὔτως καὶ ἐπὶ τοῖς εὖ πράττουσι κατ' ἀξίαν. ἄμφω γὰρ δίκαια καὶ ποιεῖ χαίρειν τὸν ἐπιεικῆ. Ejusmodi autem dolor, qui honestatis est signum, tragoediis recte compositis sollicitatur; misericordia enim recta in eo est, ut doleamus, quod quis in miseriis versatur majoribus, quam quas meritus est (Poet. c. 13, p. 1453, a 5: ἔλεος περὶ τὸν ἀνάξιον). Talibus igitur tragoediis saepe spectandis assuefiemus in re ficta recte dolere; qui vero in re ficta recte doluerit, etiam in vera recte judicabit, qui dignus sit misericordia, qui minus; cf. rep. V, c. 5. p. 1340, a 23: ὁ δ' ἐν τοῖς ὁμοίοις ἐθισμὸς τοῦ λυπεῖσθαι καὶ χαίρειν ἐγγύς ἐστι τῷ πρὸς τὴν ἀλήθειαν τὸν αὐτὸν ἔχειν τρόπον. Quamvis igitur perversum fuerit contendere, tragoediam ideo misericordiam et metum sollicitare, ut homines meliores reddat, tamen tragoedia recte composita, quoniam secundum animi humani veram naturam condita est, et quoniam affectus tales incitat, quales esse debent, virtutis indolem in spectatorum animis firmat et corroborat; quod Platonem op-

time sensisse aptissima illa similitudo artium et aurae, quarum altera animum, altera corpus sensim sine sensu corroborat, clarissime ostendit; ne tamen, quam imitationis notionem in idearum doctrina quasi fundamento exstuxerat, ipse refelleret, priorem illam sententiam rejecit.

Una igitur re Aristotelica a Platonica tragoediae compositione quam maxime differt, quod Aristoteles primus notionibus et misericordiae et metus usus, qualis ille debeat esse ostendit, quem poeta tragicus imitaturus sit, ut et ipse et res ejus honesto spectatori placeant, id est, ut quales natura ipsa illos affectus esse voluerit, tales in animis commoveantur; quod dum ostendit, eo ipso tempore majorem partem Platonicarum criminationum refutat, tragoediaeque firmissimam compagem exstruit, quam Lessingius quemquam poetarum sine summo suo damno mutaturum esse recte negat.

Denique unum etiam liceat addere. Quum post Bernaysii libellum opus esse non crediderim eos refellere, qui putarent, Aristotelicam illam purgationem affectuum ipsam esse quandam morum correctionem, illud quidem ostendam, quo tempore ea morum correctio tragoediis spectandis perfici quam maxime diceretur, eo Lessingium ipsum descriptionem voluptatis tragicae probasse, quae ab Aristotelica omnino non differt, nisi quod Aristoteles descriptioni etiam explicationem addit. In eo enim prologo, quo enarrato prima fabula Hamburgii in novo theatro docebatur, haec dicuntur (Hamburg. dramat. I. 6):

Ihr Freunde, denen hier das mannigfache Spiel
Des Menschen in der Kunst der Nachahmung gefiel:
Ihr, die ihr gerne weint, ihr weichen, bessren Seelen,
Wie schön, wie edel ist die Lust, sich so zu quälen;
Wenn bald die süsse Thrän', indem das Herz erweicht,

In Zärtlichkeit zerschmilzt, still von der Wange schleicht;
Bald die bestürmte Seel', in jeder Nerv' erschüttert,
In Leiden Wollust fühlt und mit Vergnügen zittert etc.

Quin ipso tremendi verbo Aristoteles utitur Poet. c. 14, p. 1453, b 4 ff: δεῖ γὰρ καὶ ἄνευ τοῦ ὁρᾶν οὕτω συνεστάναι τὸν μῦθον, ὥστε τὸν ἀκούοντα τὰ πράγματα γενόμενα καὶ φρίττειν καὶ ἐλεεῖν ἐκ τῶν συμβαινόντων.

Aristoteles deinde definitione tragoediae proposita ad singula explicanda se confert et sex res enumerat, quas qui de qualibet tragoedia recte sit judicaturus, respicere debeat (ita enim illa μέρη vel μόρια τῆς τραγῳδίας Poet. c. 6. p. 1450, a 8 esse intellegenda, Vahlenus initio libelli ostendit, qui inscribitur: die Rangfolge der Theile der Tragödie bei Aristoteles), inter quas summum teneat locum fabula, i. e. rerum gestarum, quae in scenam producantur, compositio; cf. Poet. c. 6. p. 1450, a 15: μέγιστον δὲ τούτων ἐστὶν ἡ τῶν πραγμάτων σύστασις. Ibid. 38: ἀρχὴ μὲν οὖν καὶ οἷον ψυχὴ ὁ μῦθος τῆς τραγῳδίας. (p. 1450, a 4: λέγω γὰρ μῦθον τοῦτον τὴν σύνθεσιν τῶν πραγμάτων). Quanti autem hanc compositionem Aristoteles aestimaverit et ex nominibus concludere licet, quae ei imponit, et ex legibus, quas ex illa derivatas poetis tragicis praescribit. Quod Plato quamquam non ita clare exposuit, tamen aliquoties ea profert, quae Aristotele modo egeant, ut omnino perfecta sint, ordinatore. In Phaedro enim p. 268 C. eos rejicit, qui miserabiles et terribiles orationes proferentes tragoediam se facere existiment; qui si ad Sophoclem et Euripidem venerint, eos risuros esse: εἴ τις οἴεται, τραγῳδίαν ἄλλο τι εἶναι ἢ τὴν τούτων σύστασιν πρέπουσαν, ἀλλήλοις τε καὶ τῷ ὅλῳ συνισταμένην. Ii igitur refelluntur, qui unam artis poeticae partem, quae quidem minoris est momenti, pro tota arte habent; qui

instrumenta, ut ita dicam (ibid. 269 A: τὰ πρὸ τραγῳδίας), quibus poeta tragicus utitur in tragoedia exornanda, ipsam tragoediam esse existimant (ibid. τὰ τραγικά). His igitur Plato dicit, poetam re vera tales sermones condere debere, neque tamen, qui eos bene condiderit, eum propter id ipsum poetam esse. Quod autem affirmat, illorum aptam compositionem poetae tragici esse, simile quid certe sensit, atque Aristotelis fabulam, quamvis nomine rei intellectae adhuc careret (cf. Vahlen, Rangfolge p. 164). Quod ei in Phaedone contigit. Ibi enim p. 61 A, B. Socrates versus se fecisse ait somnio oboedientem, et primum quidem hymnum in deum quendam; deinde, quum secum reputaverit poetam, qui quidem facere voluerit, quod verbo, quod est ποιεῖν, facere sit jussus, non orationes condere sed fabulas componere debere, se ipsum pro virili parte fecisse, quod poetae esse intellexerit. Quoniam enim ipse novas fabulas invenire non potuerit, quas Aesopi fabulas memoria tenuerit, eas se versu inclusisse (ἐννοήσας, ὅτι τὸν ποιητὴν δέοι, εἴπερ μέλλοι ποιητὴς εἶναι, ποιεῖν μύθους, ἀλλ' οὐ λόγους). Quod autem hic Plato nominat λόγους, in Phaedro vocaverat ῥήσεις (p. 268 C.); quod in Phaedro σύστασιν πρέπουσαν, μῦθον dicit in Phaedone. Verba denique, quae sunt ποιεῖν et ποιητὴς eo sensu hic usurpantur, quem initio hujus dissertationis exposui (p. 5). Ea paene ipsis verbis ab Aristotele in artis poeticae c. IX referuntur; ibi enim (p. 1451, b 28) haec leguntur: δῆλον οὖν ἐκ τούτων, ὅτι τὸν ποιητὴν μᾶλλον τῶν μύθων εἶναι δεῖ ποιητὴν ἢ τῶν μέτρων, ὅσῳ ποιητὴς κατὰ τὴν μίμησίν ἐστι, μιμεῖται δὲ τὰς πράξεις. Quae similitudo fortuita esse vix potest, sed apparet, Aristotelem Platonis sententiam respexisse; quod autem addidit, poetam fabulas componere oportere, quatenus imitetur, id adjecit, quo sua

ipsius notio poetae a Platonica differret (cf. huj. dissert. p. 14. p. 28.)

Qualis autem ea fabula esse debeat, Aristoteles in sequentibus exponit: actionem enim et perfectam et totam illa contineri oportere; cf. c. 7. p. 1450, b 24. Quod quo clarius intellegatur, talem compositionem cum corpore animalis (ζῴου) comparat p. 1450, b 35, 1451, a 3, c. 23 init.: περὶ δὲ τῆς διηγηματικῆς καὶ ἐν μέτρῳ μιμητικῆς, ὅτι δεῖ τοὺς μύθους καθάπερ ἐν ταῖς τραγῳδίαις συνιστάναι δραματικοὺς καὶ περὶ μίαν πρᾶξιν ὅλην καὶ τελείαν, ἔχουσαν ἀρχὴν καὶ μέσον καὶ τέλος, ἵν' ὥσπερ ζῷον ἓν ὅλον ποιῇ τὴν οἰκείαν ἡδονήν, δῆλον etc. Ea comparatione Plato quoque in Phaedro utitur, ut, qualem oporteat esse omnem orationem ostendat. p. 264 C: Σω. Ἀλλὰ τόδε γε οἶμαί σε φάναι ἄν, δεῖν πάντα λόγον ὥσπερ ζῷον συνεστάναι σῶμά τι ἔχοντα αὐτὸν αὑτοῦ, ὥστε μήτε ἀκέφαλον εἶναι μήτε ἄπουν, ἀλλὰ μέσα τε ἔχειν καὶ ἄκρα, πρέποντ' ἀλλήλοις καὶ τῷ ὅλῳ γεγραμμένα. Quamvis autem Plato hic neque de tragoedia neque ejus fabula agat, tamen non dubito, quin ipse, si de tragoediae fabula fusius exposuisset, eandem comparationem ei adhibiturus fuerit, praesertim quum tragoediam in eodem Phaedro nominet (p. 268 D.) ῥήσεων σύστασιν πρέπουσαν, ἀλλήλοις τε καὶ τῷ ὅλῳ συνισταμένην.

Ex ea fabulae natura sequitur, omnes ejus partes suo quamque loco esse oportere neque ullam fortuitam esse posse; quare omnia procedere debere, Aristoteles ait, secundum leges probabilitatis et necessitatis Poet. c. 7. p. 1451, a 13: κατὰ τὸ εἰκὸς ἢ τὸ ἀναγκαῖον. Has notiones conjunctas invenies in Platonis Theaeteto p. 149 C: Σω. Οὐκοῦν καὶ τόδε εἰκός τε καὶ ἀναγκαῖον etc. Quin erant Platonis tempore, qui oratori praescriberent, ut, si

quae facta essent, probabilia non viderentur, ea ita mutaret, ut probabilia fierent; cf. Phaedr. p. 272 E. φασὶν ... οὐδὲ γὰρ αὖ τὰ πραχθέντα δεῖν λέγειν ἐνίοτε, ἐὰν μὴ εἰκότως ᾖ πεπραγμένα, ἀλλὰ τὰ εἰκότα. Quod Aristoteles poetae imitantis esse toto capite nono exponit. Tisiam autem hoc primum diserte praescripsisse, ex iis apparet, quae in Phaedro sequuntur p. 273 A. Ille autem iisdem verbis ad eandem notionem significandam usus videtur esse, quibus Aristoteles, quae sunt τὸ εἰκὸς et τὸ πιθανόν; cf. Phaedr. p. 272 D. fin.: τὸ παράπαν γὰρ οὐδὲν ἐν τοῖς δικαστηρίοις τούτων ἀληθείας μέλειν οὐδενὶ, ἀλλὰ τοῦ πιθανοῦ. Poet. c. 9, p. 1451, b 16.

Ex illa fabulae natura porro sequitur, ut, quae nodi solutio per deum ex machina, qui nominatur, perficitur, ea genuina non sit, ut quae non ipsius fabulae quasi fructus videatur sed aliunde addatur. Quod Plato in Cratylo affirmat: a poetis, ait, illos deos tum arcessi, quum ipsi fabulam solvere non potuerint; p. 425 D enim haec leguntur: εἰ μὴ ἄρα βούλει, ὥσπερ οἱ τραγῳδοποιοὶ, ἐπειδάν τι ἀπορῶσιν, ἐπὶ τὰς μηχανὰς καταφεύγουσι θεοὺς αἴροντες, καὶ ἡμεῖς οὕτως εἰπόντες ἀπαλλαγῶμεν, etc., quibus verbis talem solutionem vituperari apparet. Aristoteles autem hic quoque, quod jam Plato recte adumbraverat, certis finibus inclusit. Solutionem enim fabulae semper ex ipsa fabula progigni oportere dicit, diisque ea assignat nuntianda, quae homines scire non potuerint; Poet. c. 15, p. 1454, b 1 ff: φανερὸν οὖν ὅτι καὶ τὰς λύσεις τῶν μύθων ἐξ αὐτοῦ δεῖ τοῦ μύθου συμβαίνειν, καὶ μὴ ὥσπερ ἐν τῇ Μηδείᾳ ἀπὸ μηχανῆς, καὶ ἐν Ἰλιάδι τὰ περὶ τὸν ἀπόπλουν· ἀλλὰ μηχανῇ χρηστέον ἐπὶ τὰ ἔξω τοῦ δράματος ἢ ὅσα πρὸ τοῦ γέγονεν, ἃ οὐχ οἷόν τε ἄνθρωπον εἰδέναι, ἢ ὅσα ὕστερον, ἃ δεῖται προαγορεύσεως καὶ ἀγγελίας.

Jam quae praeterea in comparationem vocari possunt, ea omnia ex fundamentis positis sequuntur neque quidquam novi afferunt. Quae autem in Cratylo de dicendi figuris et verborum elementis inveniuntur, Vahlenus in commentario ad artis poeticae c. 20, 21, 22 collegit. Satis igitur habeo ea enumerasse, quae ad fundamenta Aristotelicae institutionis artis poeticae ponenda aliquid valuerunt. Quare quamquam non is sum, qui Aristotelem primum institutionem poeticam composuisse negem, tamen meo jure me contendisse puto, eum in hac quoque re Platonis esse discipulum. Institutionem autem poeticam, quae eo nomine sit digna Plato non scripsit; ubicunque enim de arte poetica aut fusius aut brevius exponit, non artis poeticae ipsius, sed alius rei illustrandae causa in illam inquirit, ut intellegat, num ad educandos cives quid utilitatis praebeat, quod si quam tulerit, quae formae praeferantur. Quod ne quis obliviscatur, ipse initio illarum quaestionum in re publica praecavet, ubi II. p. 379 A haec Socratem facit dicentem: καὶ ἐγὼ εἶπον· Ὦ Ἀδείμαντε, οὐκ ἐσμὲν ποιηταὶ ἐγώ τε καὶ σὺ ἐν τῷ παρόντι, ἀλλ' οἰκισταὶ πόλεως. Nihilominus tamen permulta eum apte exponentem vidimus, eaque omnia Aristoteles in librum de arte poetica recepit, quae vero minus recte ille videbatur contendisse, ea refutare non dubitavit; plerumque autem, quae ille modo adumbravisset, ea aut certis inclusit et finibus et nominibus, aut fundamentis usus est, in quibus uberiorem doctrinam constitueret. Denique, quod Plato jam dixerat, suas quamque habere artem leges et normas (rep. I. p. 342 A, B. III. p. 387 B: ταῦτα... παραιτησόμεθα Ὅμηρόν τε καὶ τοὺς ἄλλους ποιητὰς μὴ χαλεπαίνειν ἂν διαγράφωμεν, οὐχ' ὡς οὐ ποιητικὰ καὶ ἡδέα τοῖς πολλοῖς ἀκούειν, ἀλλ' ὅσῳ ποιητικώτερα, το-

σούτῳ ἧττον ἀκουστέον παισὶ καὶ ἀνδράσιν), id accepit, quum institutionem poeticam componeret, in qua num carmina poetarum cui noceant necne, omnino neglegit, id solum respicit, quae leges ex natura et imitationis variae et hominum audientium consequerentur (c. 25. p. 1460, b 14: οὐχ ἡ αὐτὴ ὀρθότης ἐστὶ τῆς πολιτικῆς καὶ τῆς ποιητικῆς, οὐδὲ ἄλλης τέχνης καὶ ποιητικῆς). Itaque Plato, ubi fusius de artium natura exponit, pro diversa re, quam demonstraturus est, alibi aliud ponit fundamentum, ex quo in artem inquirat, et alibi aliter de ea judicat, quoniam opinione jam praesumta ad eam aggreditur. Id ex iis apparet, quae et in tertio et in decimo rei publicae libro cum de artis poeticae tum de imitationis notione profert. Aristoteles vero ethicis quaestionibus in libro de arte poetica omnino omissis, quae initio posuit fundamenta, in iis remanet; eamque ob causam primum eum institutionem poeticam composuisse contendebam. Si vero non ille cujusquam discipulus recte nominabitur, qui in verba juraverit magistri, sed ille, qui quae falso magister proposuit, ea refutare non dubitarit, quae vere, ea receperit, eaque mente, qua ille concepit, excoluerit: Aristoteles recte etiam in hac disciplina Platonis erit discipulus. Se ipsum autem aliquoties Platonicis adnumerat in libris metaphysicis. Cf. Met. A. c. 9. p. 990, b 9: καθ' οὓς τρόπους δείκνυμεν ὅτι ἔστι τὰ εἴδη (cf. commentarium Bonitzii).

## Corollarium ad dialogum περὶ ποιητῶν.

(cf. huj. diss. p. 31, 32.)

Aristoteles in artis poeticae c. I. et IX. distinguit inter poetam κατὰ τὸ μέτρον et poetam κατὰ τὴν μίμησιν; priorem re vera poetam non esse, sed poetam tantum nominari, quod homines, quemcunque versus facere sciant, eum poetam salutent; alterum solum dignum esse, qui poeta vocetur. Quod si re vera in illo dialogo de poetis agente Aristoteles de notione verbi, quod est ποιεῖν, scripsit, id certum videtur, priusquam ipse, quid censeat, exposuerit, eum in usitatas illius verbi notiones inquisiturum fuisse. Id enim persaepe facit in integris libris (cf. eth. Nic. init.; Met. A. 2.), in dialogo multitudini accomodato quin etiam saepius fecerit, non dubito. Quae ea quaestione instituta invenerit, ea jam vidimus. Quam usitata autem fuerit illa universalior poetae notio, ipse ostendit; quamquam enim Empedoclem poetam esse in a. p. c. I. negat, tamen saepe eum poetam nominat, ubi nihil refert, teneatur illa divisio necne. Cf. rhet. III. c. 5, p. 1407, a 35: οἱ γὰρ τοιοῦτοι ἐν ποιήσει λέγουσι ταῦτα, οἷον Ἐμπεδοκλῆς. Quum igitur in universalem illam verbi, quod est ποιεῖν notionem, inquireret, haec eum invenisse ars poetica nos docuit:

τῆς ποιήσεως (quae vulgo nominatur)

| a. ἡ μὲν ἀμίμητος | b. ἡ δὲ μιμητή |
|---|---|
| (ποιητὴς κατὰ τὸ μέτρον) | (ποιητὴς κατὰ τὴν μίμησιν) |

a. Ea poesis, quae nominatur poesis, poesis non est; imitatione enim non utitur. b. Ea poesis, quae sola eo nomine digna est; nam imitatur. Imitatione igitur et metro utitur ad distinguendum inter poetas et versuum fa-

bricatores (cf. huj. diss. p. 27, 28). Quam divisionem, si diserte nusquam traderetur, tamen Aristotelicam esse contenderem; atqui anonymi tractatus de comoedia sic incipit: § 1. (cf. Bergk. Aristoph. prolgg. p. XLIII.)

τῆς ποιήσεως

- a. ἡ μὲν ἀμίμητος
  - ἱστορική
    - ὑφηγητική
    - θεωρητική
  - παιδευτική
- b. ἡ δὲ μιμητή
  - τὸ μὲν ἀπαγγελτικὸν
  - τὸ δὲ δραματικὸν καὶ πρακτικόν

Cujus tractatus majorem partem quamvis Bernaysius ostendat ex Aristotele esse derivatam, tamen eam divisionem Aristotelicam esse negat. Quum enim omnis poesis eo fiat poesis, quod imitetur, de poesi imitatoria non magis Aristotelem verba facere posse, quam de igne igneo. Quod de vera poesi Aristotelis recte quin dicatur, non dubito; ubi autem vera poesis a poesi, quae tantum nominatur, discerneretur, illa verba quae sunt ἀμίμητος et μιμητή addi necesse erat, idque in illo dialogo, in quo quaerebatur, quis poeta recte nominaretur, factum esse persuasum mihi est. Quare illam divisionem ab anonymo nostro ex dialogo, qui agebat de poetis sumtam esse probabile videtur. Et de alterius partis divisione nunc disputare longum est, poesis autem imitatoriae quod duae species enumerantur, poesis epica et poesis dramatica, id optime ad Aristotelis divisionem quadrat (cf. huj. diss. p. 43). Verba denique, quae sunt ἀμίμητος et μιμητός passive intellegi necesse videtur esse; quare ποίησις ἀμίμητος ea est, quae per imitationem non perficitur; ποίησις μιμητὴ autem ea, quae imitando evadit.

# ARGUMENTUM.

# VITA.

Christianus Belger natus sum Loebaviae, in urbe Saxoniae, d. XXII. m. Decbr. a. h. s. XLVII, patre Carolo, matre Christiana e gente Dietrichiana, quibus superstitibus laetor. Fidem profiteor evangelicam. XIV annos natus in gymnasium Budissinum me contuli, ubi Friderico Palmio rectore, praematura morte suis erepto, ad litteras incubui. Deinde academiam adii Lipsiensem a. h. s. LXVII, ubi ordini theologorum primum simul adscriptus mox me totum ad philologiae studium applicavi, donec a. LXIX gravissimo patris morbo, propter quem domum reverti, illa studia per aliquod tempus interrumperentur. Lipsiae per quinquies sex menses disciplina usus sum G. Curtii, Drobischii, Fechneri, Kahnisii, Klotzii, Overbeckii, F. Ritschelii, Wuttkii, Zarnckii, Zilleri. Ad societatem archaeologicam Overbeckius, ad paedagogicam Zillerus, ad philologicas et Curtius et Ritschelius aditum benigne dederunt. Inde a. LXX. in hanc academiam Berolinensem transmigravi, ubi audivi Bonitzium, E. Curtium, Droysenum, Hauptium, Huebnerum, Kirchhoffium, Mommsenum, Muellenhoffium, Trendelenburgium. Seminarii philologici sodales ordinarius fui per bis sex menses; praeterea et Bonitzius et Trendelenburgius ut Aristotelicis, Curtius ut archaeologicis, Kirchhoffius ut Graecis, Muellenhoffius ut Theodiscis exercitationibus adessem, benigne permiserunt. Quibus omnibus debitas gratias hoc loco ago, reddere studeo; Trendelenburgium, qui ut omnibus, quos studiis philosophis aliquantulum operae dare vidisset, ita mihi quasi pater erat, quod nihil restat nisi ut ploremus, lugemus, quicunque illius consuetudine utebamur.

# SENTENTIAE CONTROVERSAE.

1. Horatius Aristotelis artem poeticam non novit.
2. Theophrastus in arte poetica componenda Platonis praecepta collegit.
3. Diomedes art. gramm. III. p. 482, 18 (Keil.) scripsit: sine *ulla* poetae interlocutione, non sine *ullius*.
4. In anonymi tractatu de comoedia (Aristophanes ed. Bergk. I. prolgg. XLIII), § 1 legendum est ἀφαιρεῖ, non ὑφαιρεῖ.
5. Aristot. eth. Nicom. X. c. 2. p. 1173, b 24 quod legitur ὑγιεινά, interpolatori debetur.